

47


87

51
Jest 117


w - 28


52

D. 25
C. 4



i 19876345






Ala Cap. de la de la concepcion

78

E VNIVERSO MILLE QVAE STIONES.

PVTANDAE PER F. CALIXTVM DE
cap. Ord. Minor. de Obser. Sacre Theologiae Pro-
fessore, Romae in Comitijs Generalibus.

*ANTONIUM MARIAM
Salvatum Cardinalem Ampliss.*



OMAE, Ex Typographia Vincentij Accolti.
M. D. LXXXVII.


del Collegio della Compagnia de' Santi della Concepcion d'Espagna

PK

DE VNIVERSO MILLE QVAE- STIONES.


DISPVTANDAE PER F. CALIXTVM DE
Neap. Ord. Minor. de Obser. Sacre Theologiae Pro-
fessore, Romae in Comitijs Generalibus.

AD ANTONIUM MARIAM
Salvatum Cardinalem Ampliss.



ROMAE, Ex Typographia Vincentij Accolti.
M. D. LXXXVII.

Vniuersa propter semetipsum operatus est
Dominus. Prouerbiorum 16.





ILLVSTRISSIMO,

AC REVERENDISS. D.

D. ANTON. MARIAE

SALVIATO CARD.

AMPLISSIMO.

F. Calixtus Neapolit. foelicitatem exoptat.



*U*ntantiarum virtutum culmen, decusq; considero (Cardinalis Amplissime) nil certe aut agi, aut excogitari à me potest. quod totum in tuae laudis cumulum non accedat. Et cum Aristotele existimans virum quempiam generosum nullo merito premio redimi, nisi duntaxat gloria, & honore, cum honor virtutum premium existat: ad te non utique solum velut meum dominum colendissimum sed veluti exterum, inuisumq;, cognitum tamen ob innumeras singularesq; virtutes: his meis de Uniuerso mille de proptis assertionibus, pro modulo mei studij in Comitibus Generalibus fratrum Minorum, Romae discutiendis accedo. Illud tamen non mirum, minimeq; nouum tibi videri volo: si ita quidem contingeret, ut te quamuis inuisum diligere ac aestimarem: quandoquidem (ut Augustinus inquit) inuisa diligere possumus, incognita nequaquam. Ceterum si honor quem tibi statuo, tuis virtutibus impar existit, non indignaberis: ingenio tuo quidem facile noscis satis esse si

vnusquisque id offerat, quod pro viribus offerre potest: quod
ibi vel maxime satisfere credidit Aristoteles, vbi pro ma-
gnitudine virtutū, aut meritorum equalia reddere non va-
lemus. Cuius rei fidē tu ipse (Card. Ampliſſ.) aſtruere potes:
in quo religio ipſa ſeſe admirabilem a deo, atq; ſpectandam
in omni vitæ curſu exhibuit: vt eius potiſſimum gratia te à
Greg. XIII. Pont. Max. fœl. record. in Auguſtiſſimum il-
lum Eccleſiæ procerū, ac Principum Senatū cooptari cōti-
gerit. Siquidem præter eā, quæ in te ſumma eſt eruditiōe,
rerum prudentiā, integritatem, iuſtitiā, fidemq; ita religio-
ne, ac vere pietatis ſtudijs polles, vt cæterarū virtutū & hu-
ius in primis ornamentis, nemo tibi ſit præferendus: atque
inde effectū eſt, tãtam eſſe, tanq; conſpicuam tui clariffimi
nominis lucē, vt illius vel extremas terras fama peruaſerit
nec quiſq; fore quantumuis tibi obſequio, aut familiari con-
ſuetudine diſiunctus, qui te ſibi non mirifice colendū, non pe-
ctore, oculisq; ferendū exiſtinet: ex quorū numero cum ipſe
(licet indignus) exiſtā, non ſum paſſus, vt quod iam dudum
animo conceperā, obſeruantie erga te meæ, non testimoniū
aliquod tandem oſtenderē. Idq; libentius mihi faciendū cen-
ſui, quod ſemper omniū mihi quā optatiſſimū fuit, perpetuā
obſeruantia in te meā teſtatā relinquere. Quamobrē theſes
haſce de Uniuerſo, ſummis ſtudijs, & vigilijs ex Theologo-
rū, ac Philoſophorū doctrina à me depromptas hilari ani-
mo ſuſcipe: quas contra oppugnantium argumenta, tui glo-
riofiffimi nominis auctoritate præualere non vereor. Et ſi
(vt dixi) per exiguum hoc videtur munus ac magnitudini
tuæ non conſentaneum: erit certe maximum, ſi ex meo ti-
bi quam additiſſimo ſpectetur animo. Vale.



DE VNIVERSO MILLE QV AE- STIONES.



*Quid per vniuersum sit intelligendum secun-
dum Platonem.*

- V**NIVERSVM totum secundum Pla-
tonem dicitur ex tribus mundis con-
stitutum, intellectuali. f. quem ange-
licum vocat, caelesti, qui ex cunctis
sphaeris constituitur, & sublunari, si-
ue elementari.
- 1 Subordinantur enim in vniuersi constitutione praedicti
mundi secundum Platonem trifariam, emanatione,
fine, ac continentia.
 - 2 Emanatione quidem, nam licet omnes ex vna profici-
santur causa, emanarunt tamen ordine quodam.
 - 3 Effluxit enim à primo opifice angelicus primo: quo me-
diante caelestis mundus effluxit, rursus autem me-
diante hoc, elementaris mundus.
 - 4 Subordinantur fine. nam licet omnes vno fruantur fi-
ne, Angelicus tamen immediatius attingit, quo me-
diante caelestis fruitur, ac eo mediante elementaris.
 - 5 Continentia vero, nam alter in altero continetur. f. coe-
lestis in intellectuali, elementaris vero in caelesti.

Nec

DE VNIUERSO

- 7 Nec propter hoc Platonis sententia cum Anaxagoræ opinione coincidere videatur dicentis, quodlibet esse in quolibet, ac mundum esse in mundo.

De Vniuersi constitutione secundum Arist. Astrol. & Theologos.

- 8 **V**niuersum hoc totū statuit Arist. ex quatuor simplicibus corporibus & quinta essentia.
- 9 Sunt enim quatuor simplicia ac prima corpora, terra, aqua, aer, & ignis.
- 10 Quinta vero essentia est cœlum ipsum, quod in septem Planetarum orbem, & firmamentum diuiditur.
- 11 Vel secundum clariores peripatheticos, dicamus totum hoc vniuersum ex etheræa ac elementari regione constitui.
- 12 Quæ omnis vniuersi regio protenditur à superficie conuexa terræ, vsque ad superficiem concavam orbis stellarum.
- 13 Rationes etiam quas Philosophus adducit ad hoc demonstrandum, si opus erit, defendemus.
- 14 Astrologi vero supra stellarum orbem, primum mobile constituerunt: quod etiam ad vniuersi constitutionem necessarium esse defendo.
- 15 At Theologi clariori lumine superius specularantes, ultra prædicta corpora, christallinum, & empyreum statuerunt.
- 16 Potest etiam & ad Auer. mentem defendi, vniuersum aliquando pro sola regione ætherea accipi, quandoque pro sola vltima sphaera, quandoque autem pro alijs orbibus.
- 17 Differunt enim secūdam Thæmistium vniuersum & totum: dicitur vniuersum aggregatū ex omnibus suis partibus: totum autem est ipsa rei absolutio atque perfectio.

Quæ

MILLE QUÆSTIONES.

- 18 Quæ quidem partibus superueniens spectatur in omnibus, vt idem Thæmistius sentit.
- 19 Nos aliam differentiam dantes inter vniuersum & totum: dicimus quod vniuersum cum sit partium aggregatione constitutum, nullam entitatem realem dicit præter suas partes, sed rationis tantum.
- 20 Totum autem essenziale præter suas partes vnitas & disiunctas, aliam realem entitatem importat.
- 21 Nec solum in toto per se, sed etiam in toto per accidens, talem entitatem statuimus.
- 22 Potest etiam vniuersi nomine secundum Auer. dictum, indiuiduum demonstratum intelligi.
- 23 Quod indiuiduum est solum de prædicamento substantiæ ex materia & forma compositum.

Quid sit extra Vniuersum.

- 24 **E**Xtra vniuersum (Astrologorum & Peripatheticorum vestigia sectando) nullum aliud corpus statuimus, nec mobile, nec immobile.
- 25 Non quidem æthereum, nec elementare: non simplex, nec mixtum.
- 26 Rationes etiam quas Aristo. in primo cœli ad hoc probandum inducit, potissimas esse defendo.
- 27 Clariori tamen lumine incedentes, extra vniuersum ab Astrologis, & Peripatheticis cõstitutum, cœlum empyreum vt diximus collocamus.
- 28 Quod quidem nec mixtum nec mobile dicimus, sed immobile, & immixtum existens.
- 29 Quod etiam omnia cœlestia corpora excedit quantitate, sublimitate, nobilitate, qualitate, ac fitu.
- 30 Excedit quantitate, cum sit omnibus alijs supremum, ac Dei, beatorumque spirituum sedes.
- 31 Sublimitate quidem, cum supra se nullum aliud corpus existat.

Nobi-

DE UNIVERSO

- 32 Nobilitate, cum solum ipsum Dei sedes dicatur, ac beatorum agminibus repletum.
- 33 Qualitate vero, dum ultra lumen proprium quod ratione supremi corporis naturaliter ipsum ambit.
- 34 Est etiam perpetuo Dei ac beatorum lumine circumfusum.
- 35 Propter quod recte scribitur in Apoc. quod domus illa non indiget lumine solis.
- 36 Hac enim de causa empyreum nuncupatur, quasi ardens & ignitum.
- 37 Non quidem realiter, sed cum tantis supremis sit circumfusum luminibus.
- 38 Olimpum etiam dici consuevit, ob eius limpiditatem ac puritatem.
- 39 Quamobrem, nullum coinquinatum super ipsum ascendet.
- 40 Qua ratione huiusmodi, coelum intellectuale à quibusdam nuncupari solet, videbitur.
- 41 Coelum etiam Trinitatis, quod aliqui ultra empyreum ponunt, non quidem aliud corpus ab isto esse dicimus.
- 42 Sed ut Albertus ait, virtutis eius excellentiam, qua ambit, & continet omnia creata.
- 43 Constat ex eadem natura, qua alia coelestia corpora constant.
- 44 Nec tamen corruptibile aut mutabile existit.
- 45 Potest aliquo pacto variabile dici, ut Seraphicus Bonaventura defendit.
- 46 Nec si lumine astrorum sit minime ornatum, aut circumfusum sicut firmamentum, oporteat propter hoc dicere, ipsum non ita vel magis ornatum, ac lucidum esse.
- 47 Sicut enim firmamentum astris decoratum dicitur, ita empyreum Angelis decoratum.
- 48 Hoc enim voluit Iob induere, dum dixit: Cum me laudarent astra matutina, &c.
- 49 Nec aliquo pacto solis lumen participare potest.

Quan-

MILLE QUÆSTIONES:

- 50 Quandoquidem radij solares extra firmamentum non protenduntur.
- 51 Locus eius non est centrum terræ cum non moueatur.
- 52 Nec à superiori locante continetur, cum supra se non habeat concavam superficiem alterius corporis.
- 53 Locus enim eius est sola creatrix diuina virtus, ipsum perpetuum & conseruans.
- 54 Nec sicut alij orbes indiget propria intelligētia assistente, aut mouente.
- 55 Nec sicut in alijs orbibus dextrū, aut sinistrū ponimus.
- 56 Et sicut D. Bonauentura ait, Deus non influit in ipsum ad motum, sed ad quietem.
- 57 Ac sicut Dei influentia mouet firmamentum, sic quietat empyreum.
- 58 Optima etiam ratio perpetuæ illius quietis à Bonauentura assignatur, quia locus ille est regio deputata his qui in omnimodo sunt statu, & quiete.
- 59 Et cum sit à motu segregatum, nullam influentiam in hæc inferiora habere dicimus, sicut alia corpora.
- 60 Si tamen Deus aliquam sibi influentiam tradidit super corpora inferiora, non est intellectui nostro manifestum.
- 61 Necessitas etiam talis influentiæ non est nobis manifesta.
- 62 Cum aliorum corporum influentia satis sufficere videatur.
- 63 Nec ab ipsius conditore ad hoc deputatum esse puto, sed ad supernorum spirituum gloriã & maiestatem.
- 64 Licet maxima sui mole omnia inferiora corpora ambiat & contineat.

De natura intellectuali extra Uniuersum posita.

- 65 **V**Lterius autem extra vniuersum progredientes ad naturam intellectualem supra empyreum collocatam

- catam accedimus.
- 66 Quam in tres Hierarchias iuxta doctorum opiniones distinguimus scilicet super coelestem coelestem, & sub coelestem siue ecclesiam.
- 67 Est enim Hierarchia secundum Dionysium ordo quidam & sacer principatus.
- 68 Vel secundum Bonaventuram est rerum sacratum & rationabilium ordinata potestas, in subditis debitum retinens principatum.
- 69 Propter quod, non nisi in substantia intellectuali Hierarchia collocamus.
- 70 Et cum intellectualis substantia triplex sit, scilicet diuina, angelica, & humana.
- 71 Merito doctores modo supradicto Hierarchiam distinxerunt.
- 72 Et primo ad super coelestem & diuinam accedentes nomine magis proprio, tetrarchiam illam vocamus.
- 73 Cum non sit ibi potestas, nec principatus superioris ad inferiora descendens.
- 74 Illae enim tres diuinas personas tantum continet in vnus singularissimae essentiae vnitate.
- 75 In quibus non superius, aut inferius, non prius, vel posterius, nec magis, aut minus reperitur.
- 76 Est enim in ipsis summa aequalitas in natura, potentia, sapientia, ac bonitate.
- 77 Quam Hierarchiam sic describit Dionysius, est pulchritudo diuina, vt simplex, vt bona, vt perfectionis auctor, pura, nulla prorsus admixtionem dissimilitudinis accipiens, &c.
- 78 Nec si tres diuinae personae in dicta hierarchia collocentur, tres Deos dicimus, sed vnum tantum.
- 79 Non enim Deus dicitur propter personarum distinctionem, sed propter essentiae vnitatem.
- 80 Qui vnus tantum necessario esse debet propter sui perfectionem, vniuersi, ac entis.

MILLE QUÆSTIONES.

- 81 Est vnus ob sui perfectionem, quæ ex summa necessitate, infinitate, ac independentia inuestigatur.
- 82 Propter vniuersi perfectionem, cum multorum principatus sit malus, ex quo vnus princeps esse debet.
- 83 Vnus demum propter entis perfectionem: est enim in tota entis coordinatione necessario deueniendum ad vnum primum ens, in quo omnium entium saluetur perfectio.
- 84 Quæ enim in inferioribus sunt dispersa, vt ordo & perfectio, naturæ saluetur, per ordinem debent vniri, & reduci ad superiora.
- 85 Qui ordo protendi debet quousque ad alicuius entis vnitatem perueniatur.
- 86 Quod quidem primum ens per essentiam dicitur coetera vero per participationem.
- 87 Ipsum solum primum, coetera verò secundaria.
- 88 Solum ipsum independens, coetera autem dependentia.
- 89 Ipsum solum increatum, coetera verò creata.
- 90 Solum ipsum infinitum, coetera autem finita.
- 91 Improductum, & incausatum ipsum solum manet, coetera autem omnia producta & causata.
- 92 Viuit in seipso vita substantiali, & incommensurabili, coetera autem omnia in ipso viuunt.
- 93 Cuius vita est solum intelligere, & velle seipsum, vt infinite intelligibile, & volibile.
- 94 Quibus operationibus in seipso etiam beatificatur, vt in proprio fine, vltra quem non est alius finis.
- 95 Sunt enim dictæ operationes suamet substantia, nequaquam autem accidentia.
- 96 Nullum prorsus accidens, aut propriū, aut extraneum in ipso reperiri, aut de ipso verificari potest.
- 97 Ac sicut nihil sibi accidere potest, ita nullius alterius accidentalis, aut substantialis forma poterit esse.
- 98 Omnia enim accidentia transcendit, sicut etiam grātia & difficultas, coetera prædicamenta.

99. Et cum Deus ipse prædicamentorum limina trascen-
dat quid mirum si neque diffiniri aut describi potest.
100. Est enim Deus quo maius excogitari non potest.
101. Est enim Deus pelagus infinitarum perfectionum.
102. Est etiam Deus intellectualis sphaera, cuius centrum
est ubique, cuius circumferentia nusquam.
103. Habet enim centrum, non autem sicut terra.
104. Nec circumferentiam sicut coelum habet.
105. Centrum dicimus habere propter sui immobilitatem.
106. Circumferentiam autem ob sui immensitatem.
107. Nec propter hoc puncto, linea, aut aliqua alia magni-
tudine ipsum circumferibi dicimus.
108. Est enim magnus sine quantitate, ac bonus sine qua-
litate.
109. Puncto caret, qui linea commensurari non potest.
110. Figura autem & magnitudine, qui nimis distat à cor-
poris mole.
111. Est igitur infigurabilis, incommensurabilis, atque im-
mobilis.
112. Cum sit incommensurabilis, inter mathematicas di-
sciplinas comprehendi minime potest.
113. Cum etiam immobilis existat, in phisico conceptu
non cadit.
114. Nec solum propter hoc physicalia limina trascendit,
sed etiam cum essentia, ac natura simplicissima e-
xistat.
115. Abest plurimum à formæ, & materiae appenditijs.
116. Caret enim cõpositione, ac cõponibilitate qualibet.
117. Ab omni etiam potentia est semotus, in se tantum exi-
stens actus purissimus.
118. Cum quo summa simplicitas summæ saluatur.
119. Sed num possit dici simpliciter simplex, pro vtraque
parte defenditur.
120. Ex quibus liquido constat à solo metaphisico consi-
derari debere.

MILLE QUÆSTIONES.

121. Qui de substantijs separatis tamquam de principali obiecto speculatur.
122. Ac merito ab ipso prima intelligentia, ac suprema inter substantias separatas nuncupatur.
123. Quamobrem Deum naturaliter cognoscibilem ab intellectu viatoris dicimus.
124. Qui non solum in conceptu vniuersali, verum etiam particulari conceptu naturaliter indagari potest.
125. Conceptus enim particularis naturaliter de Deo cognoscibilis, est conceptus infinitatis.
126. Ex quo apud Arist. Deum infiniti vigoris ac virtutis existere Scotus defendit.
127. Qui conceptus non inter prædicata quidditatiua, sed modalia de Deo dicta collocatur.
128. Sicut nec vnitas de ipso dicta prædicatum quidditatiuum, sed modale dicitur.
129. Conceptus autem communis, qui de ipso naturaliter à viatoris intellectu inuestigari potest, est conceptus entis & suarum passionum.
130. Qui de Deo & creaturis vniuoce, atque realiter prædicatur simul cum suarum passionum conceptu.
131. Qui conceptus cum sit metaphoricæ speculationis, vt de adequato subiecto.
132. Ponitur etiam adequatum obiectum humani intellectus.
133. At cum cognitio Dei sub talibus conceptibus viatoris intellectui minime sufficiat.
134. Aliam supernaturalem cognitionem sibi inspirari est necessarium: ad quam naturali lumine attingere nequit.
135. Quæ solū in sacra Theologia traditur & inuestigatur.
136. Quæ de solo Deo sub ratione deitatis speculatur.
137. In ipsa enim omnes conclusiones de Deo scibiles in particulari conceptu tradentur.
138. Quæ & si ex naturalibus principijs non dependeant, sunt

DE UNIVERSO

- 139 Ac etiam ex aliquo naturali & demonstratiuo principio deduci possunt.
- 140 Quæ Theologia, & scientia & sapientia simul dicitur.
- 141 Est etiam à Deo inspirata, & ab ecclesia & doctoribus sufficienter tradita.
- 142 In ipsa namque vt in omnium veritatum magistra, omnes veritates necessariae ad salutem, quæ non cadunt sub captu mentis humanæ traduntur.
- 143 Inter quas principem obtinet locum, veritas ineffabilis de diuinis productionibus in simplicissima essentia.
- 144 Sicut enim vnitatis conceptus dictus de essentia illa est occultus humano intellectui.
- 145 Sic etiam conceptus Trinitatis, ac diuinarum emanationum.
- 146 Nihil prorsus deitati, ac essentiæ simplicitati obstat diuinarum personarum productio.
- 147 Neque limitationem, nec finitatem, aut potentialitatem aut aliquam aliam imperfectionem, propter hoc sibi ascribitur.
- 148 Tres enim personas diuinas, nec plures, nec pauciores in diuina essentia catholice confitemur.
- 149 Quæ non tres dii sed unus tamen essentialiter dicuntur.
- 150 Non enim eodem dicuntur personæ, & Deus.
- 151 Dicuntur enim Deus per unius singularissimæ essentiæ communicationem.
- 152 Personæ autem per relationes originis quibus in tali esse constituuntur.
- 153 Et quemadmodum relationes originis inter se inuicem realiter distinguuntur, ita etiam personæ ipsæ constitutæ.
- 154 Ab essentia autem non realiter, sed solum personaliter distinguuntur.

Qua

MILLE QUÆSTIONES.

- 155 Qua etiam distinctione essentia ipsa ab attributis discernitur.
- 156 Et vt omnia paucis absolvam: in Deo est una essentia duo principia productiua, tres autem personæ.
- 157 Essentia enim est de se hæc, singularis & existens propria singularitate, ac existentia.
- 158 Cuius existentiam non modum eius intrinsecum ponimus, sicut in creaturis.
- 159 Sed prædicatum proprium quidditatum & essentialium.
- 160 Propriam autem subsistentiam minime habet.
- 161 Cum sola personæ subsistentia subsistat.
- 162 Duo etiam productiua principia in ipsa ponimus intellectum scilicet & voluntatem.
- 163 Quæ etiam ab essentia, & inter se formaliter distinguuntur.
- 164 Nec tamen solus intellectus aut sola voluntas perfecti principij productiui rationem habet.
- 165 Sed id quod ex essentia, & dictis potentijs constituitur.
- 166 Intellectus enim cum essentia memoria dicitur fecunda.
- 167 Voluntas autem cum essentia etiam fecunda dicitur.
- 168 Vtrumque principium est infinitæ perfectionis sicut essentia.
- 169 Nec tamen plura infinita in Deo ponimus.
- 170 Ab is igitur principijs, duæ productiones, siue emanationes procedunt.
- 171 Quarum altera per modum naturæ, altera autem per modum libertatis dicitur.
- 172 Quæ non solum à principijs, sed etiam ex seipsis distinctionem habent.
- 173 Nullam in se perfectionem, aut imperfectionem habent.
- 174 Sicut nec finitæ, aut infinitæ dici possunt.

DE UNIVERSO

- 175 Ambe tamen diuinæ productiones dicuntur.
- 176 Actus etiam notionales appellantur, ab essentialibus distincti.
- 177 Et licet ab eisdem principijs actus essentialis & notionales procedant.
- 178 Non tamen æqualiter dicunt perfectionem, quandoquidem actus essentialis infinitam dicit perfectionem.
- 179 Notionalis autem nullam in se perfectionem, aut imperfectionem dicit.
- 180 Ab eisdem etiam principijs procedunt, intellectu. f. & voluntate.
- 181 Quæ respectu istorum actuum operatiua & productiua principia dicuntur.
- 182 Vt operatiua sunt, infinitam in seipsis continent perfectionem.
- 183 Vt prouidentia, neque perfectionem, aut imperfectionem habent.
- 184 Cum si per impossibile nulla esset in Deo productio æqualiter esset Deus infinitus, summe perfectus ac summe potens.
- 185 Datur etiam ordo inter actus notionales cum vnus sit prior altero.
- 186 Sicut etiam datur inter principia à quibus procedunt.
- 187 Sed vtrum essentialia procedunt notionalia; pro utraque parte defenditur.
- 188 Sunt enim essentialia necessario in tribus personis.
- 189 Notionalia verò aut in duabus saltim aut in vna.
- 190 Inter quas personas datur ordo originis secundum Scotum: sine quo perfecta ratio personarum non intelligitur.
- 191 Quarum prima est persona patris, qui est ingenitus & improductus.
- 192 Qui etiã cum sit origo totius deitatis, ex se, & non ab alio oia principia habet productiua, & generatiua.

Simi-

MILLE QUÆSTIONES.

- 193 Similiter ex se, & non ab alio habet omnes actus essentialiales, & notionales.
- 194 Qui etiam & si sit simul natura cum filio.
- 195 Est tamen perfecte beatus antequam generet ipsum.
- 196 Et si duo actus notionales æqualiter sint in patre: generatio nempe actiua, & spiratio.
- 197 Nec tamen spiratio actiua constituit ipsum in esse patris, sed generatio tantum.
- 198 Non enim quælibet relatio originis constituit personam, quandoquidem trinitas esset quaternitas.
- 199 Quæ relatio & si ad essentiam non pertineat, dicitur tamen substantialis.
- 200 Et licet ingenitum & innascibile sit proprietas patris, ut Scotus concedit.
- 201 Non tamen proprietas constitutiua patris dicitur sicut paternitas.
- 202 Non enim persona diuina formaliter negatione constituitur, sed positiuo tantum ab essentia distincto.
- 203 Quod positiuum non absolutum, sed relationem dicimus.
- 204 Et in hoc patet differentia inter formale constitutiuum personæ creatæ à persona diuina.
- 205 Cum persona creata nihil formale positiuum adat ultra naturam singularem.
- 206 Sed tantum duplicem negationem, s. incommunicabilitatis, ut quod, & ut quo.
- 207 Vel secundum alios, negationem actualis, ac aptitudinalis dependentiæ.
- 208 Et licet diuina essentia non generet, nec generetur.
- 209 Non propter hoc ipsam ingenitam dicimus, sicut & patrem.
- 210 Ingenitum etiam & innascibile, habent distinctas rationes formales.
- 211 Ideo sicut in patre ingenitum & innascibile non sunt

DE UNIVERSO

- formaliter idem.
- 212 Ita & in filio genitum & natum formalibus rationibus distinguuntur.
- 213 Innascibile enim secundum rationem suam formalem prius est quam ingenitum.
- 214 Sicut etiam genitum prius est quam natum.
- 215 Sed utrum ingenitum in patre possit dici priuatio, pro utraque parte defenditur.
- 216 Et si pater à se habet quidquid habet, non propter hoc admittitur hæc propositio solus pater est Deus.
- 217 Qui pater filium sibi æqualem generat in æternitate, & perfectione.
- 218 Non enim per actum cognoscendi generat ipsum, neque per fecunditatem naturæ, vel per formale principium, ut quidam arbitrantur.
- 219 Sed solum memoria fecunda, ex intellectu & essentia constituta, ut vult Scotus.
- 220 Quæ respectu generationis filij, non principij operatiui, sed productiui solum rationem habet.
- 221 Per quam generationem pater communicat filio singularem essentiam, simul atque memoriam, omnemque perfectionem.
- 222 Propterea filium nihil à se habere dicimus, sed quicquid habet, habet à patre.
- 223 Illa quæ generatio, non motus, aut mutatio dicitur, sed productio tantum.
- 224 Propter quod filius non causatus, aut creatus dicitur, sed genitus, aut productus.
- 225 Nec si pater principium filij dicatur, filium à patre dependere dicimus.
- 226 Cuius generationem, cum sit in eadem natura, atque essentia non æquiuocam, sed vniuocam appellamus.
- 227 Nec obstat si pater & filius sint dissimiles in ratione personæ.
- 228 Essentia autem cum sit illimitatio intellectui, dicitur magis

MILLE QUÆSTIONES.

- gis principium generandi in patre, quod intellectus.
- 229 Et si essentia præexistat ante generationem filij: dicimus tamen ipsam esse terminum paternæ generationis.
- 230 Ipsa enim per productionem, primo est in producto, eiusque essentialis perfectio.
- 231 Quomodo autem essentia, & persona filij diuersimode sint termini paternæ generationis videbitur.
- 232 Nec propter hoc diuinam essentiam generare, aut generari dicimus.
- 233 Licet hæc propositio concedatur: pater est essentia.
- 234 Sed qua ratione dicatur sapientia genita, non autem essentia genita declarabitur.
- 235 Concedimus etiam istam propositionem: Deus generat Deum.
- 236 Sed non seipsum aut alium Deum:
- 237 Vtrum autem pater genuerit filium intellectu præintelligente, pro vtraque parte defenditur.
- 238 Ad cuius productionem etiam sapientiam patris concurrere cum Augustino defenditur.
- 239 Prius etiam dicimus filium à patre intelligi, quam ab ipso generari.
- 240 Sed vtrum actus intelligendi in patre sit actus immanēs?
- 241 Vtrum etiam pater eadem intellectione intelligat filium, & essentiam suam.
- 242 Et sicut dicimus patrem generare filiū intellectu præintelligente, ita voluntate, atque volitione.
- 243 Et si per modum naturæ pater generet filiū, iuxta principium tali pacto productiuum.
- 244 Non tamen voluntatem volentem ab illa productione excludimus.
- 245 Et si Augustinus dicat, quod verbum amore concipitur, non tamen diuinum verbum libere produci asserimus.
- 246 Generat etiam pater filium naturali necessitate.

DE UNIVERSO

- 247 Sed vtrum aliqua alia simplici necessitate: pro vtraque parte defenditur.
- 148 Illaq; necessitas, non est producendi ratio, sed solum conditio producendi.
- 249 Eadem etiam necessitas, quæ est in patre, in filio reperitur.
- 250 Licet filium nequaquam ex se necessarium dicamus.
- 251 Quod si per generationem pater communicat filio eandem necessitatem simul cum essentia.
- 252 Verum est dicere quod idem principium productiuum quo ipse producit, sibi communicatur.
- 253 Nec propter hoc filium, alium filium dicimus posse generare.
- 254 Sicut nec pater nisi vnicum filium generare potest.
- 255 Sed caue ne propter hoc patris omnipotentiam neges.
- 256 Nec filij omnipotentiam patri æqualem.
- 257 Qui filius verbum & sapientia patris dicitur cum per intellectum producat.
- 258 Tamen patrem sapere sapientia genita omnino negamus.
- 259 Eadem enim sapientia sapit pater & filius.
- 260 Qui etiam cum (secundum Apostolum) sit splendor gloriæ, ac figura substantiæ patris.
- 261 Confitemur catholicæ ipsum esse naturalem, atque genitum patris imaginem.
- 262 Ac adeo æqualem, vt qui ipsum viderit patrem videre est necessarium.
- 263 De cuius substantia dicimus ipsum esse generatum.
- 264 Non tamen de materia, aut quasi materia, vt volebat magnus ille Henricus.
- 265 Nec etiam vt de termino à quo, vt alij volunt, cum nulla in Deo cadat transmutatio.
- 266 Nec præcise hoc originationem importat, quandoquidem creaturæ essent de substantia Dei.
- 267 Nec etiam absolute consubstantialitatem: tunc enim

pater

MILLE QUÆSTIONES.

- pater esset de substantia filij.
- 268 Quomodo autem intelligatur Augustini dictum 6. de trinitate, dicentis, tres personas ex eadem substantia non dicimus, declarabitur.
- 269 Dicitur etiam generatio filij æterna, cum habeat cum patre idem esse, eandemq; durationem.
- 270 Est enim æternitas sicut vnitas omnium diuinorum, non quidem quidditatiua ratio, sed modus intrinsecus.
- 271 Idem etiam est in filio generari, & genitum esse.
- 272 Et si semper generetur, nec propter hoc est dicendum, quòd aliquando non fit genitus.
- 273 In eademq; æternitate, atque natura pater, & filius simul personam spiritus sancti producant.
- 274 Quæ & si tertia persona in diuinis dicatur, nõ propter hoc est minoris perfectionis, q̃ prima, & secunda.
- 275 Ex eadem essentia constituitur qua pater & filius constituantur.
- 276 Propter quod cum patre & filio conuenit in infinita perfectione, bonitate, atque natura.
- 277 Cuius productio, non generatio, aut mutatio aliquo modo dicitur.
- 278 Sed processio, aut spiratio tantum.
- 279 Spiratio enim actiua, qui actus spirandi dicitur est simul in patre & filio, non vt duo actus, sed vnus tm̃.
- 280 Spiratio passiuæ est solum in tertia persona.
- 281 Qua formaliter in esse talis personæ constituitur.
- 282 Spiratio autem actiua in nullo tali esse personam constituit.
- 283 Principium autem productiuum ipsius, non est sola voluntas, nec essentia sola, sed vtrumque simul.
- 284 Quæ cum sit vna & eadem in patre & filio, non dicuntur duo principia spiritus sancti, sed vnum tantum.
- 285 Quod quidem principium vis spiratiuæ in vtroque dicitur.

Ipsamq;

DE UNIUERSO

- 286 Ipsumq; principium tali pacto constitutum, non operatiuum, sed productiuum absolute nuncupatur.
- 287 Et cum voluntas sit principium, non dicitur spiritus sanctus per modum naturæ productus, sed per modum libertatis.
- 288 Sed cauendum, ne propter hoc dicatur contingenter ipsum produci.
- 289 Tanta.n. necessitate ipse producit, quanta & filius.
- 290 Nec si in eadem natura producat sicut filius, potest dici imago patris, sicut filius dicitur.
- 291 Est equidem similis patri in natura sicut & filius, non tamen ex vi productionis.
- 292 Quandoquidem, vt August. inquit 5. de trinita. non procedit quomodo natus, sed quomodo datus.
- 293 Et si concedatur quod procedat à patre per filium, non tamen procedit sicut per principium productiuum, aut per instrumentum, aut causam mediam.
- 295 Qui tamen si à filio non procederet, realiter ab eo distingueretur.
- 295 Spirant etiam pater & filius, inquãtum vnum in essentia, non autem inquantũ sunt vnum in vi spiratiua.
- 296 Quæ vis spitatiua, & si sit eadem in spiritu sancto sicut in patre & filio.
- 297 Non propter hoc spiritum sanctum, alium spiritum sanctum posse spirare asserimus.
- 298 Nec etiam ob id minorem omnipotentiam tribuimus spiritui sancto quàm patri & filio.
- 299 Et si pater prius spiret, quàm filius.
- 300 Non propter hoc spiritum sanctum bis productum, aut filium, superflue spirare affirmamus.
- 301 Cum etiam ptincipium & actus spirandi sint vnum in patre & filio, etiam vniformiter ipsos spirare dicimus.
- 302 Nec si oppositum substinemus: aliquid contra veritatem asserimus.

MILLE QUÆSTIONES.

- 303 Theologice etiam asseueramus, spiritum sanctum esse amorem patris & filij.
- 304 Sed vtrum pater & filius diligant se spiritu sancto pro vtraque parte defenditur.
- 305 Conuenienter etiam nexus patris & filij, spiritus sanctus nominatur.
- 306 Sicut etiam conuenienter dicitur, Donum Dei altissimi.
- 307 Licet donum de Deo dicatur ex tempore, ac etiam in æternitate.
- 308 Et cum omnia communicata dicantur dona ratione amoris.
- 309 Dicimus quod in dono, quòd est spiritus sanctus omnia alia Dei dona donantur.
- 310 Est insuper donum proprietatis distinctiua spiritus sancti, non autem constitutiua.
- 311 Nec solam relationem ad creaturas donum importat, sed processionem etiam per modum amoris.
- 312 Et si missio & processio de spiritu sancto dicantur, non tamen eodem modo.
- 313 Processio enim est æterna, per respectum ad diuinas personas.
- 314 Missio autem temporalis, per respectum ad creaturas.
- 315 Propter hoc tribus personis, missio spiritus sancti communis dicitur.
- 316 Non enim dicit missio mutationem localem, nec separationem missi à mictente.
- 317 Est enim missio spiritus sancti inuisibilis atq; visibilis.
- 318 Inuisibilis missio est in anima, quando ibi spiritus sanctus inhabitat per gratiam, aut per alios effectus inuisibiles.
- 319 Et cum effectus huiusmodi in nobis diuersimode producantur.
- 320 Propterea diuersa sibi attribuuntur nomina: sic enim dicitur fons viuus, ignis, charitas, & cetera hmoi.

Missio

- 321 Missio visibili fit in aliquo signo sensibili, in quo repræsentatur persona spiritus sancti, ibi personaliter operans, & inhabitans.
- 322 Ratio autem visibilis missionis est propter manifestationem plenitudinis gratiæ redundantis, sicut fuit in baptismo Christi, & in Apostolis die sacro Pentecostes.
- 323 In lege veteri fiebat missio spiritus sancti inuisibilis tantum, non autem visibilis.
- 324 Non enim erat conueniens signum plenitudinis dari, ante plenitudinis tempus.
- 325 Conuenienter fiebat talis visibilis missio in certis creaturis, puta in columba, in linguis igneis, & similibus: vt conuenientissime signarentur diuersi effectus diuinæ personæ secundum gratiæ plenitudinē.

De caelesti Hierarchia supra Uniuersum constituta.

- 326 **C**oelestis hierarchia supra uniuersum posita, est super caelesti hierarchiæ propinquior origine, atque natura.
- 327 Est enim mere intellectualis, & incorporea simul atque inuisibilis.
- 328 Cui conuenientissime hierarchiæ diffinitio attribuitur à Dionysio, & Bonauentura supra assignata.
- 329 Distinguitur autem huiusmodi hierarchia, in superiorem, mediam, atque inferiorem.
- 330 Superior hierarchia tres ordines cōtinet, s. Seraphim, Cherubim, & Thronos.
- 331 Quorum primi considerant Dei bonitatem, Cherubim veritatem, Throni autem æquitatem.
- 332 Media hierarchia in tres alios ordines secernitur, scilicet Dominationes, Principatus & Potestates.
- 333 In Dominationibus Deus dominatur vt maiestas, in Principatibus superat, in Potestatibus autē regit.

MILLE QUÆSTIONES.

- 334 Hierarchia inferior tres alios continet ordines, supra Virtutes, Archangelos, atque Angelos.
- 335 Virtutes destinantur ad miraculorum operationem, Archangeli ad negotiorum excellentium denuntiationem, Angeli verò ad hominum custodiam.
- 336 Rectè itaque Gregorius inquit, quod Angelorum nomina non sunt naturæ sed officij.
- 337 Qui omnes simul fuerunt à Deo ex nihilo producti tã boni, quàm mali.
- 338 Non enim est poducibilis Angelica nam per generationem, nec per aliquam aliquam mutationis speciem.
- 339 Nec actione naturalis agentis, siue principaliter, siue instrumentaliter.
- 340 Quamobrem absolute dicitur Angelus terminus creationis non autem alicuius alterius productionis.
- 341 Quod si anima sicut, & Angelus verè creationis terminus dicatur.
- 342 Differunt tamen specie inter se, cum ambo sub genere collocentur.
- 343 Cum etiam ambo sint naturæ limitate & finitæ: prædicamentorum limina minime trascendunt.
- 344 non enim per diuersum modum intelligendi, aut per vnibilitatem, & non p vnibilitatem ad materiam: animam & Angelum specie diferre dicimus.
- 345 Sed per suas proprias quiditates, naturas, atque essentias vt scotus ait.
- 346 Non enim specifica distinctio inter perfectas substantias esse potest per accidentales qualitates aut per materiam.
- 347 Sed solum per differentiam specificam, siue formam, substantialem.
- 348 Non est autem forma propter materiam, sed magis econuerso differunt, enim membra leonis, à membris Cerui, quia anima differt ab anima.

- 349 Ne sic sit specifica differentia inter Angelum, & animam propter hoc eorum operationes, ac potētias specie differre fatemur.
- 350 Pōt etiā sine praiudicio defendi, Angelos in eadē specie multiplicari posse, si Damasceno est credendū.
- 351 Non enim Angeli quidditati repugnat communicari, & sic in eadem specie multiplicari.
- 352 Non repugnat sibi talis communicatio propter perfectionem aut imperfectionem.
- 353 Quandoquidē diuina natura pluribus p̄sonis nō cōi-caretur nec natura generabiliū ac corruptibilium.
- 354 Esto qđ natura diuina sola indiuisibiliter cōmunicet, omnis autem natura creata cum sui diuisione.
- 355 Ita etiam nulla natura est de se hęc singularitate non superaddita naturæ, nisi diuina.
- 356 Non enim natura, aut quidditas creata est de se vna, aut plures, singularis autem vniuersalis, vt optime Auicennas inquit.
- 357 Vnde in quidditate creata, aliquam vnitatem reperi ri est necessarium, minorem vnitate numerali.
- 358 Quæ vnitas est posterior quidditate ipsa, & ab eadem distincta, ac prior numerali vnitate.
- 359 Illaq; vnitas dicitur ipsi naturæ proportionata, eiq; conuenit in secundo modo dicendi per se tanquam passio eius.
- 360 Hęc autem vnitas numeralis, ab illa minori vnitate distincta non est existentia naturæ, vt aliqui arbitrantur.
- 361 Existentia enim in quidditate creata non est ex se distincta: immo distinguitur ad essentiarum distinctionem.
- 362 Neque negatio est fundamentum distinctionis numeralis in eadem specie.
- 363 Prima enim substantia, cum sit magis substantia, q̄ secunda non potest constitui in tali esse indiuiduali per

MILLE QUÆSTIONES.

- li per solam negationem, sed per aliquod positiuū.
- 364 Neque hoc positiuum ac numeraliter distinctiuum, quantitatem esse arbitramur.
- 365 Quantitas enim substantia posterior esse videtur, ideo prius est distinctiuum posterioris, & non è contra.
- 366 Neque materia aliquo modo distinguendi principiuū videtur, cum reuerentia loquendo.
- 367 Si enim Arist. credimus, in fundamento naturæ nihil est distinctum.
- 368 Rectius igitur cum Scoto tenendum arbitror, tale principium numeraliter distinctiuum, esse differentiam individualement, quam ipse hecheitatem vocat.
- 369 Quæ ab vltima realitate naturæ accipitur, atque ab illa distincta.
- 370 Ista enim realitas est maior vnitate numerali naturæ atque ipsa posterior.
- 371 Ac quemadmoduū genus in species diuiditur per specificam differentiam, cum non sit ex se diuisum.
- 372 Ita species indistincta numero diuiditur p̄ huiusmodi numeralem differentiam, cum non sit ex se diuisa.
- 373 Per hanc enim dicitur indiuiduum alicuius speciei indistinctum à se & à quocunque alio distinctum.
- 374 Cum igitur neque materia, neque quantitas quæ Angeli naturæ repugnant sint principium distinctionis numeralis.
- 375 Conuenientissime assignari potest Angelorum multiplicatio in eadem specie per huiusmodi differentiam individualement.
- 376 Cum qua multiplicatione saluatur etià Angeli simplicitas ac incorporeitatis ratio.
- 377 Est enim ex sui natura simplex purus actus, non cōpositus aut componibilis.
- 378 Ex quo Platonis opinionem vt falsam reicimus, qui dicit Angelos esse corporeos, ad cuius mentem aliquando Augustinus locutus fuisse videtur.

DE VNIUERSO

- 279 Cum enim simplices spiritus dicantur sensibilibus ac naturulibus, corporibus naturaliter vnitis ipsos carere est necessarium.
- 380 Nec habere possunt corpora eis inseparabiliter alligata, sicut falso in argumentis quidam esse putant.
- 381 Possunt tamen voluntarie sibi assumere corpora, aut viuentia aut cadauera, aut nuper ex elementis cōpacta.
- 382 Corpora tamen viuētia, aut cadauera, non boni Angeli, sed mali sibi assumūt, ad hominum de ceptionem, aut ad aliquod facinus perpetrandum.
- 383 Angeli tamen boni cum omnes sint spiritus administratores in ministerium missi.
- 384 Dicta corpora minime assumunt, nec eis conuenit propter eorum puritatem, & excellentiam.
- 385 Sed à Deo missi in hominum ministerium: licet eis apparere hominibus solummodo in corporibus effigiatis humana effigie, cum nihil aliud sit ei necessarium ad ministerium suum exercendum.
- 386 Quod quidem corpus opere suo formare potest ex aere cum aqua cōdensato, & mixtione vaporis aque atque terrestris.
- 287 Cuiusmodi fateor fuisse corpus assumptū à Raphaelē Archangelo in ministerium Tobiaē misso.
- 388 Possunt etiā Angeli tam boni, quā mali in assumptis corporibus exercere opera vitæ, licet non omnia.
- 389 Nec tñ proprie dicunt loqui in dictis corporibus tñ fonos in aere formant similes humanis vocibus.
- 390 Cum etiam habeant perfectam rationem personæ: in vltima actualitate subsistentis.
- 391 Non possunt dictis corporibus vniri vt forma materiæ, nec vt perficiens perfectibili.
- 392 Sed solum eis vniuntur vt motor mobili ac vt agens istrumento.
- 393 Nec propter Angeli simplicitatem, omnē prorsus ab eo com-

MILLE QUÆSTIONES.

- eo compositionem secludimus.
- 394 Constat enim ex actu & potentia sicut ex duabus realitatibus, ut vult D. Thomam : aut ex vna tantum ut placet Scoto.
- 395 Non enim in totaentis latitudine potest creatura aliqua omnino simplex reperiri.
- 396 Quandoquidem ut bene sentit Auer. nulla intelligentia libera est a potentia nisi prima.
- 397 Insuper propter molis corporeæ carentiã, non necessario Angelũ in loco collocamus, sicut alia corpora.
- 398 Poterat enim Deus Angelum creare, ante creationẽ cuiuscunque corporis.
- 399 Sicut etiam potest ipse Angelus esse, & fieri extra omnem corpoream creaturam.
- 400 Cum autem sit creatura finita, & limitata, non repugnat sibi in loco esse.
- 401 Immo potentialitas est in ipso, essendi in aliquo corpore continente.
- 402 Nec etiam per operationem esse in loco dicimus, sed per sui naturam, atque præsentialitatem.
- 403 Non enim facit distare latera corporis continentis.
- 404 Nec facit in actu superficiem continentem.
- 405 Ideo non oportet ipsum esse in loco in actu.
- 406 Nec in loco quantuncumque magno esse potest, cum non sit infinitæ virtutis.
- 407 Nec etiam quantuncumque paruo cum non possit esse in minori loco, quam sit locus adæquatus suæ naturali virtuti.
- 408 Vtrum autem possit esse in puncto, ut in loco, dubium est: non. n. apparet ratio necessaria pro, & contra.
- 409 Nõ em̃ occupat locũ sicut corpus, nec causat vmbra.
- 410 Nec habet partem, & partẽ in diuersis partibus loci.
- 411 Immo tot⁹ est ï toto loco, & tot⁹ in qualibet parte loci.
- 412 In diuersis locis sibi adæquatis minime esse potest.
- 413 Vtrum autẽ possit esse in diuersis locis discõtinuis, & in adæ-

DE UNIVERSO

- in adæquatis, non apparet ratio pro vtraq; parte.
- 414 Sic etiã sub dubio relinquitur, an plures Angeli in eodem loco esse possint.
- 415 Potest insuper de loco ad locũ moueri motu cõtinuo.
- 416 In quo cum sit potentia passiuã effendi in loco, ita etiam vt possit esse intermino motus.
- 417 Et percurrens spatium, lineã in spatio describere põt.
- 418 Quæ non constabit ex punctis, sicut nec etiam lineã corpore in spatio descripta.
- 419 Et si non repugnat suæ naturæ moueri, nec ei repugnabit aliquod accidens reale de nouo acquirere.
- 420 Sed vtrum in instanti moueri possit, in qua instantanea mutatione includat̃ tota realitas motus successiui.
- 421 Et dum successiue mouetur est partim intermino à quo, & partim intermino ad quem.
- 422 Licet ipse non sit quantus, nec habeat partẽ, & partẽ.
- 423 Et cum operatio cuiuscunque rei præsupponat esse, ideo postquã de natura atq; essentia Angeli disputauimus ad eius indagandã operationẽ accedimus.
- 424 Est enim angeli duplex operatio, immanens scilicet, & transiens.
- 425 Operatione transeunte ipse producit aliquem effectũ visibilem, aut inuisibilem in subiecto extraneo.
- 426 Operatione autem immanente, effectum in se ipso producit.
- 427 Essentia enim intellectualis naturæ operatur mediante potentia, quæ est intellectus, memoria & voluntas.
- 428 Quæ quidem potentiæ sunt eiusdem naturæ & eiusdẽ substantiæ cum sua essentia, nõ autem accidentia.
- 429 Quæ etiam interesse, & ab earum essentia formaliter tamen distinguuntur.
- 430 Prima Angeli Potentia, ordine quodam est intellectus ratione cuius dicitur natura irrellektualis.
- 431 Hac enim de causa prima eius operatio ab huiusmodi po-

MILLE QUÆSTIONES.

- modi potentia proficiscitur, quæ est intellectio, aut cognitio siue notitia.
- 432 Paritur enim notitia secundum Augustinum excogno-
scente & cognitio idest ex potentia & obiecto.
- 433 Ideo cum triplex sit obiectum cognoscibile ab intelle-
ctu Angeli scilicet sua essentia, Deus ac obiectum
creatum à se distinctum,
- 434 Necessè est ab eius intellectu tres distinctas opera-
tiones proficisci, quibus ista obiecta attingere
possit.
- 435 Circa cognitionem proprii obiecti dicimus Ange-
lum seipsum cognoscere per propriam essentiam,
vt per rationem formalem cognoscendi se ipsum.
- 436 Hoc enim modo vt inter ipsius essentiam, & intelle-
ctum non sit aliquod medium representatiuum, vt
formalis ratio cognoscendi eam.
- 437 Et si possit se ipsum cognoscere per speciem aliquam,
suam essentiam representantem; hoc erit in alio co-
gnitionis genere.
- 438 Nec talis cognitionis solus intellectus erit causa,
nec sola essentia, sed vtrunque simul constituunt
vnam causam totalem.
- 439 Nec etiam identificatur cum eius essentia, sicut po-
tentia: est enim accidens de prima specie qua-
litate.
- 440 Licet ad mentem philosophi hoc sustineri possit,
cum secundum ipsum, In separatis à materia
idem est quodquid est cum eo cuius est; similiter
intelligens & intellectum.
- 441 Dicimus etiam quod talis cognitio, aut per essentiã,
aut per speciem est ei naturalis, non autem super
naturalis.
- 442 Quo autem ad diuinum obiectum, potest Angeli
intellectus habere naturalem diuinæ essentia co-
gnitionem.

Eamque

DE UNIVERSO

- 443 Eamque distincte simul cognoscere arbitramur.
- 444 Non enim per propriam essentiam, nec etiam per habitum scientialem ut vult Henricus.
- 445 Sed per speciem sibi à Deo concreatam, naturaliter, & distincte Deum representantem.
- 446 Et si possit Deus ex se illum actum causare in intellectu Angeli, est tamen species illa necessaria.
- 447 Est enim necessaria species intelligibilis in intellectu creato non solum ut obiectum sit sibi præsens, sed propter aliam causam.
- 448 Sed caue ne dicas propter hoc Angelum per talé speciem cognoscere Deum Trinum.
- 449 Qualiter autem talis species possit representare diuinam essentiam videbitur.
- 450 Quæ etiam & si sit magis similis alteri rei creatæ, quàm illi essentiæ, non tamen aliquid aliud ab essentia potest representare.
- 451 Circa alia obiecta creata: dicimus Angelum cognoscere naturaliter omnes quidditates creatas alias ab essentia sua.
- 452 Non enim per habitum scientialem sibi innitum, ut vult Henricus, sed per species quidditatum ut vult Scotus.
- 453 Fuerunt. n. omniùm quidditatum species concrete intellectui cuiuscunque Angeli, per quas omnes possunt naturaliter & distincte illas cognoscere, ut per rationes cognoscendi.
- 454 Propter quod non dicimus Angelum superiorem per pauciores cognoscendi rationes cognoscere tot quidditates quot inferior per plures.
- 455 Aequaliter autem sunt species concreatæ in intellectu Angeli superioris & inferioris.
- 456 Nec per continuos actus cognoscendi quidditates creatas potest generari in intellectu Angeli habitus à specie distinctus sicut in nobis.

Est enim

MILLE QUÆSTIONES.

- 457 Est enim Angeli intellectus ad huiusmodi actum naturaliter inclinatus ac summe determinatus.
- 458 Qui etiam actus non est idem cum specie, sed diuersus.
- 459 Alia enim præsentialitate obiectum cognoscibile est præsens intellectui Angeli; per speciem, & alia per actum.
- 460 Nec si contineat Angelus perfectionem omnium quidditatum, fas erit dicere illas per species non cognoscere.
- 461 Qui etiam in cognitione vespertina potest proficere accipiendo cognitionem à rebus.
- 462 Nec solum in cognitione abstractiua per species rerum, sed etiam in intuitiua in existentia rerum.
- 463 Non enim species omnium rerum fuerunt in intellectu Angeli concreatae, vt in ipsis non possit proficere.
- 464 In matutina cognitione minime proficiscere potest, nec etiam in meridiana, quam Theologi vocant.
- 465 Et si in libro de causis dicatur, q̄ Angelus est plenus formis; non propter hoc tollitur quòd possit in nouam rerum cognitionem proficere.
- 466 Nec propter hoc Angelū à rebus sensibilibus dicimus dependere.
- 467 Quo ad operationes verò voluntatis, dicimus beatitudinem in voluntatis operatione consistere.
- 468 Tamen omnes Angeli vniformes creati fuerunt, non beati, nec miseri.
- 469 Nec si tam bonos quam malos in primo instanti beatos fuisse dixerimus, nobis ipsis aduersari videbimur.
- 470 Licet boni prius meruissent beatitudinem, quam ipsam accepissent.
- 471 Hoc idem Augustinum sensisse videtur, dum dicit Angeli qui sancti perstiterunt, vitæ beatæ mercedem ac-

DE VNIUERSO

dem accipere meruerunt.

472 Propterea tam bonos, quam malos, aliquas morulas
viæ habuisse fatemur.

473 Quæ morulæ non sunt diuersa instantia temporis dif-
creti, vt quidam opinantur.

474 Sunt enim secundum Scotum, diuersa instantia, siue
diuersa nuncceui.

475 Quas quidem morulas tres tamen fuisse tenemus, tu-
tiores viam sectando.

476 In quarum prima omnes vniformiter in gratia creati
fuerint tam boni, quam mali.

477 Fuit enim Deus (secundum Augustinum) simul con-
dens Angelorum naturam, & largiens gratiam.

478 In secunda vero viæ mora omnes fuerunt difformes
boni enim vltimate meruerunt, mali autem vltima
te demeruerunt.

479 Nec puto tenendum esse cum Magistro Sententiæ
dicente, Angelos modo mereri beatitudinem, quã
prius acceperunt, per obsequium hominibus im-
pensum.

480 Tertia autem mora viæ fuit finalis distinctio inter bo-
nos & malos: illi enim steterunt, isti autem ce-
ciderunt.

481 Reperit enim Deus (vt inquit Iob) in Angelis suis
prauitatem, in qua perstiterunt vsque ad termi-
num viæ.

482 Quorum caput fuit lucifer, qui secundum Bernardum
Dei æqualitatem appetijt, dum similis altissimo
fieri voluit.

483 Propter quod, verum est Augustini dictum; quod
scilicet Diabolus elatione cecatus appetijt esse vt
Deus.

484 Neque erat hoc sibi impossibile: quandoquidem se-
cundum ipsum Augustinum potest voluntas vti
fruendis, ac frui vtendis.

Et si

MILLE QUÆSTIONES.

- 485 Et si secundum philosophum voluntas non fit impossibile: potuit tamen lucifer hoc velle.
- 486 Cuius primum peccatum, ac sequacium superbia fuit dicente Augustino lucifer statim factus à luce veritatis se auertit superbia tumidus.
- 487 Tamen principaliter lucifero tribuitur qui secundum Augustinum appetijt esse vt Deus, & omnibus præ esse.
- 488 Nec videatur incommodum si secundum Scotum dixerimus primum peccatum luciferi ad luxuriam reduci.
- 489 Isti enim fuerunt illi duo amores, qui secundum Augustinum fecerunt sibi illas duas ciuitates.
- 490 Habuerunt enim omnes appetitum inordinatum propriæ excellentiæ, appetentes propriam libertatem, subtrahentes seipfos à Dei obedientia.
- 491 Omnes etiam alij mali Angeli superbiæ luciferi consentientes ac in seipsis superbientes, simul cū ipso sunt igni æterno destinati.
- 492 A quò igne perpetuo cruciantur, licet sit corporeus, ipsi autem incorporei.
- 493 Nec si alij ex peccato luciferi moti sunt ad peccandum, eorum peccatū est remissibile plusquam peccatum luciferi.
- 494 Cuius malitia Secundum Bonauenturam processit secundum triplice statum. s. initium, augmentum, & complementum.
- 495 Habuit enim initium in præsumptione, de seipso nimium præsumendo.
- 496 Habuit Augmentum in ambitione, cepit augmentum in ambitione, dum præsumens appetijt quod impossibile erat.
- 497 Habuit autem complementum in odij & inuidiæ affectione.
- 498 Sed vtrum primum peccatum luciferi fuerit grauissi-

DE VNIUERSO

mum disputabitur.

- 499 Potest autem lucifer, & quilibet malus Angelus habere aliquos bonos actus voluntatis super obiectum conueniens.
- 500 Cum hoc tamen semper est in malo obstinatus, ipseque & Angeli eius semper in malitia crescunt.

De Subcœlesti Hierarchia in Uniuerso constituta.

- 501 **C**onstituta est in uniuerso hierarchia subcœlestis, quæ visibilis est, ac intellectualis mixta.
- 502 Propter quod à supercœlesti, & cœlesti distinguitur, quæ inuisibiles ac mere intellectuales dicuntur.
- 503 Possumus in hac hierarchia collocare totam humanam speciem ex anima & corpore constitutam.
- 504 Tamen cum hierarchia secundum Dionysium sit ordo quidam & sacer principatus per huiusmodi hierarchiam solam fidelium ecclesiam intelligimus.
- 505 Quæ iure optimo dicitur ordo, & sacer principatus eū ex rebus sacris constet, omniaque in ea sint Deo disponente ordinata.
- 506 Est enim ordinata & instituta instar supernarum hierarchiarum, dicente Gregorio in moralibus, ordo quidem cœli in terra ponitur.
- 507 A supercœlesti hierarchia est instituta, & roborata, à cœlesti autem ministrata.
- 508 Dicitur Ecclesia militans, quæ est viatorum, ad distinctionem triumphantis Ecclesiæ quæ est comprehensorum.
- 509 Quæ militans & visibilis dicitur, imo necessario ponitur, quidquid dicat ineptus Calvinus.
- 510 Quæ etiam sic à Thæologis describitur; est congregatio omnium fidelium viatorum sub Christo militantium.

Vnde

MILLE QUÆSTIONES.

- 511 Vnde ab huiusmodi hierarchia, omnes infideles, hæreticos atque cunctos à catholica veritate deuiantes tanquam non homines excludimus.
- 512 Extra quam salutem minime inuenire posse fatemur.
- 513 Quæ in Abel initiū habuit, et usque ad diem cōsummationis permanebit.
- 514 In omnibus tamen statibus sub vno capite militauit, qui est Christus Iesus.
- 515 Quæ tamen in nouo testamento est roborata magis, ac magis firmata, atque maioris authoritatis.
- 516 Quæ etiam cum à Spiritu sancto fit edocta, atque illuminata, in nullo potest errare.
- 517 Cuius authoritas tanta est quod supra Euangelij authoritatem præualere Apostolus dixerit.
- 518 Licet de intrinsecis, & inuisibilibus iudicare non possit, cum visibilis existat.
- 519 Et propter hanc causam caput visibile in sua hierarchia habere oportet, qui sit summus ac sacer princeps.
- 520 Qui princeps, summus Hierarchia, vel summus Pontifex dicitur.
- 521 Nec si Christum caput Ecclesiæ dixerim, monstrum ipsam confiteri, quasi duo capita habentem erit necesse.
- 522 Qui etiam Pontifex dum canonice est electus, legitimus Christi Vicarius, ac Petri Successor dicitur.
- 523 Cuius authoritas cum sit suprema in terris ad ipsum spectat de omnibus iudicare, ultra quem non est legitima appellatio.
- 524 A quo quasi à capite in membra omnes authoritates omnesque ecclesiastici ordines diffunduntur.
- 525 Nec solum in spiritualibus, verum etiam in temporalibus dominium sibi à Christo traditū esse fatemur.
- 526 In omni enim statu in Dei Ecclesia fuit Regnum, & Sacerdotium.

Quod

DE UNIVERSO

- 527 Quod quidem in veteri lege in Moyse & Aaron præfigurabatur.
- 528 Insuper, cum dictus Pontifex sit à Spiritu sancto edoctus nequaquam errare posse fatemur.
- 529 Ad quem etiam pertinet omnia conciliorum decreta approbare.
- 530 Absque cuius authoritate nullum concilium legitime congregatum dicimus.
- 531 Nec aliquod Concilij decretum valere, nisi eius authoritas roboratum dicimus.
- 532 Arma etiam quibus Ecclesia militans defenditur sunt septem sacramenta à Christo instituta.
- 533 Quam necessarium fuit post lapsum in omni statu aliquibus Sacramentis fuisse munitam.
- 534 Sacramentum enim erat in lege scripta circumcisio.
- 535 In lege autem naturæ erat aliquod Sacramentum circumcisioni correspondens.
- 536 Quæ Sacramenta necessaria fuerunt in omni statu post lapsum primi hominis.
- 537 Et sicut circumcisio erat instituta ad expirationem culpæ originalis, sic Sacramentum in lege naturæ sibi correspondens.
- 538 Quæ institutio secundum Bonaventuram decebat Deum propter sui misericordiam, iustitiam, ac sapientiam.
- 539 Decebat ex sui misericordia ut hominem lapsum per sensibilia signa adiuuaret.
- 540 Ex iustitia decebat, quæ in peccatore exigit humiliationem, qua homo ad gratiam disponitur.
- 541 Ex Sapientia autem, ut sicut homo lapsus à visibilibus sumpserat morbi occasionem, sic à sensibilibus sumeret occasionem remedij.
- 542 Propter quod Sacramentorum institutio, solummodo Deum decet, non autem hominem, neque Angelum.
- 543 In lege autem veteri circumcisio maxime viguit, & gratia

MILLE QUÆSTIONES.

- 543 gratia conferebatur in ea.
- 544 Et forte non erat necessarium, quandoquidem iuxta aliquos potest deleri peccatum originale absque gratiæ infusione.
- 545 Quæ circumcisio in institutione; baptismi à Christo euacuata fuit.
- 546 Virtute cuius maior confertur gratia, quam in circumcisio.
- 547 Qui etiam habet vim aperiendi ianuam coeli cuiusmodi non erat circumcisio.
- 548 Omnia tamen Sacramenta cuiuscunque legis à passione Christi efficaciam habuerunt.
- 549 Sacramenta autem nouæ legis septem tantum sunt à Christo instituta, nec plura, nec pauciora.
- 550 Quæ sub vna tantum diffinitione comprehenduntur sufficienter à Scoto assignata.
- 551 Est enim Sacramentum diffinibile, licet non sit per se vnum.
- 552 Sunt etiam Sacramenta conuenienter à Christo in rebus sensibilibus instituta.
- 553 Ac etiam ad diuersos effectus ordinata.
- 554 Quæ omnia non solum ex opere operante, verum etiam ex opere operato, virtutem conferendi gratiam habent.
- 555 Quam etiam effectiue causant, nec doctore subtili contradicimus.
- 556 Inter quæ magis ad salutem necessaria, baptismum & poenitentiam esse fatemur.
- 557 Præstantissimum autem omnium est Eucharistiæ Sacramentum.
- 558 Cuius differentia ab alijs sacramentis per optime à Sacro Tridentino concilio assignatur. Sess. 13. capitulo 3.
- 559 Quod quidem miro ordine fuit à Christo in vltima coena institutum in memoriã suorum mirabilium.
- In cuius

DE UNIVERSO

- 560 In cuius institutione omnes ritus Sacrificiorum veteris legis terminati fuerunt.
- 561 Materia autem huius Sacramenti necessario est panis triticeus, ac vinum naturale.
- 562 Quod si in fermentato, & non in azimo celebretur efficitur utique Sacramentum.
- 563 Et licet consecratio panis, & vini requirat materiam & formam diuersam, non propter hoc eucharistia erit duo Sacramenta, sed vnum.
- 564 In cuius consecratione, ac virtute verborum fit mirabiliter transubstantiatio, quæ non communicat cum aliqua specie mutationum naturalium.
- 565 Conuertitur ibi panis in totum Corpus Christi, ac vinum in eius Sanguinem.
- 566 Nec tamen panis & vini substantia remanet, post conuersionem, sed vtriusque accidentia tantum.
- 567 Nec si virtute verborum consecrationis panis sit solum Christi corpus præsens in illis speciebus; sanguinem, animam, atque diuinitatem ibi adesse negamus.
- 568 Similiter sub speciebus vini adest corpus etiam, anima, atque diuinitas.
- 569 Non. n. verba consecrationis panis, & vini, hoc distinguunt, quandoquidem manet totus Christus sub vtraque specie.
- 570 Nec fracto Sacramento in partes quantuncumque paruas frangitur corpus Christi immo tantum est sub fragmento, quantum toto tegitur.
- 571 Tantam etiam quantitatem illud corpus obtinet sub qualibet parte, quantam obtinuit Christi Corpus dum ab ipso instituebatur.
- 572 Quod nec augetur ex multarum hostiarum consecratione, nec minuitur ex ipsarum sumptione.
- 573 Est etiam simul & semel in cælo, & sub speciebus panis & vini.

Nec si

MILLE QUÆSTIONES.

574 Nec si totum corpus sub illis speciebus existat, sicut alia corpora locum occupare dicimus.

De vniuersi productione.

575 **T**otum hoc vniuersum in tempore productum dicimus iuxta Theologorum mentem.

576 Philosophice etiam asserere possumus ab æterno fuisse productum, secundum mentem Aristotelis.

577 De possibili autem Theologice asserimus, ipsum potuisse, produci sine principio durationis.

578 De facto tamen magis opinionem Platonis ad veritatem accedentem amplectimur, dicentem, mundum esse genitum quàm Aristotelis.

579 Cum enim omnia fuerint in tempore producta dicimus etiam ordinate à Deo omnia producta fuisse.

580 Et cū dicat Scriptura diuina, quòd in principio Deus creauit cœlum, & terram.

581 Iuxta glossæ expositionem, dicimus quatuor fuisse à Deo de nihilo producta ante vniuersæ molis constructionem, s. Angelos, tempus, Cœlum empyreum, & primam materiam.

582 Vel si cum Ambrosio asserere voluerimus Angelicam naturam ob sui excellentiam, multo tempore, ante aliarum rerum productionem conditam esse, veritati non contra dicimus.

583 Tamen cum hoc non sit reuelatum, nec in scriptura expressum, libere vnusquisque in hac re quod voluerit sustinere potest, vt Augustinus inquit.

584 Dummodo spirituales substantias, Deo cœternas non faciat.

585 Per Cœlum igitur cum Augustino intelligere volumus aut spirituales substantias, aut cum ipsis empyreum cœlum.

586 Per terram autem primam materiam, ex qua omnia alia

DE VNIUERSO

- nia alia sunt producta.
- 587 Erant enim formæ, & species omnium rerum confusæ & indistinctæ in ipsa corporali substantia.
- 588 Quamobrem simul omnia in ipsa à Deo fuerunt producta tanquam in magna mole, quæ postmodum ab ipso distinctionem sumpserunt.
- 589 Hæc enim erat terram inanis, & vacua, quæ secundum Strabum dicebatur in utilis, & in fructuosa.
- 590 Nec forsan ab Anaxagoræ sententia in hoc discrepamus, qui vniuersi productionem chaos præcesse dicebat.
- 591 Et vt Augustini sententiam prosequamur, aqua superquam spiritus domini ferebatur, erat ipsa tota corporalis materia.
- 592 Vt insinuaret vnde facta sunt omnia, quæ ex humida natura, per species varias in terra formari videntur.
- 593 Vel etiam (secundum eundem Augustinum) per aquas, spiritualis vita intelligitur, ante cōuersionis formam quasi fluitans.
- 594 Sequēdo etiam Bedæ opinionem, dicimus quod cum cælo duo elementa mūdi creata sunt, scilicet aqua & terram.
- 595 Quibus aer, & ignis commixti erant, ita vt calida pugnarent frigidus, & humentia siccis.
- 596 Aquæ enim tanta altitudine totam terræ superficiē tegebant, vt ad illum locum vsque pertingerent, vbi nunc vsque super firmamentum partim resident.
- 597 Per spiritum Domini, vt Hieronymus ait, non spiritum mundi intelligimus, aliqui dicunt.
- 598 Sed Spiritum sanctum, qui est omnium viuificator, conditor, atque Deus.
- 599 Ipse enim, vt in habreo habetur, merephet idest incubabat

MILLE QUÆSTIONES.

babat, vel fouebat, more volucris oua calore animantis.

600 Virtute enim diuina species vniuersi ab illa mole distinguebantur, & diuidebantur à tenebris quæ erant super faciem abyssi.

De vniuersi ordine, & distinctione in operibus sex dierum.

601 **S** Ex dierum opificio totam vniuersi machinam Deus perfecit, diuidendo, & segregando rerum species.

602 Qui dies erant in temporis successione distincti, non solum secundum modum intelligendi.

603 Prima enim die lucem produxit, tanquam vniuersi ornamentum & decorem.

604 Et merito vniuersi ornatus à luce inchoatur, vt factoris essentiam demonstraret.

605 Ac etiam vt primæ creaturæ excellentiam insinuaret

606 Quæ lux quæ secundum Augustinum fuerit corporalis, non erat lux solis, lunæ, uel stellarum, cum in illa die non fuissent producta.

607 Quæ etiam, vt idem Augustinus sentit, superiores tantum illustrabat, non autem inferiores.

608 Motu enim suo diem artificialem causabat, licet dies fit latio solis super terram.

609 Propter quod dicitur, quod appellauit lucem diem, & tenebras noctem.

610 In illo etiam triduo ante solis productionem, poterat diem naturalem causare.

611 Lux proinde in corporali substantia, non forma substantialis, sed qualitas sensibilis dicitur.

612 Quæ inter omnes sensibiles qualitates principem, obtinet locum.

- 613 Ipsa enim ne dum superiora, & inferiora corpora ambit, verum etiam eius nomine super coelestia appellant.
- 614 Habet etiam calefaciendi virtutem per reflexionem, vt Auer. ait.
- 615 Nec eius motus est instantaneus, vt aliqui dicunt, licet sicut videatur.
- 616 Vbique enim absque sui diminutione seipsam diffundit.
- 617 Dicitur communiter qualitas actiua corporis luminosi, sicut calor ignis.
- 618 Quæ etiam in corpore trasparente lumen vocatur, splendor autem in terfo.
- 619 Propter quod ab Arist. dicitur lumen est actus, secundum quod est diaphanum.
- 620 Siue est lucentis corporis præsentia.
- 621 Non enim est in genere substantiæ, sed qualitatis, sicut lux.
- 622 Et vt subtiliter Sco. ait, non est substantia spiritualis, cum sit extensibile.
- 623 Neque est corpus protensum de coelo ad terram, vt dicebat empedocles.
- 624 Nec cum Democrito dicimus, esse quasdam decisiones corporum athomaliu defluentium à corpore lucido.
- 625 Nec oportet aerem localiter moueri adueniente lumine.
- 626 Vel non moueri ipso recedente, vel non adueniente.
- 627 Et secundum eundem Sco. dicitur lumen intentio, seu species sensibilis ipsius lucis.
- 628 Est insuper per se visibile, ac etiam videndi ratio.
- 629 Quod etiam per radiorum reflexionem calefacit.
- 630 Et si color obiectum visus dicatur, tamen à lumine, & à luce, vt placet Auerroi.

MILLE QUÆSTIONES.

- 631 Lux enim secundum Auempacem largitur coloribus, habitum, & formam, sed contrarium cum Auerr. affirmamus.
- 632 Colores enim in obscuro sunt actu visibiles, non autem potentia tantum.
- 633 Et, vt Auer. ait, lux est per se visibilis, color autem mediante luce.
- 634 Quæ quidem non est in oculo per naturam oculi, vt vult Com. sed intra ipsum ab extrinseco.
- 635 Licet secundum ipsum color non de necessitate moueat non lucidum, sed non coloratum.
- 636 Propter quod susceptiuum coloris, non oportet esse non lucidum; sed non coloratum.

De operibus secunda diei.

- 637 **P**osuit Deus secunda die firmamentum in medio aquarum, quod diuidebat aquas ab aquis.
- 638 Aquæ enim illæ, quæ supra firmamentum remanserunt, non sunt aquæ elementares, vt quidam dixerunt.
- 639 Quandoquidem si aer, vel ignis nõ possunt esse super firmamentum, multo minus aqua elementaris, quæ grauior existit.
- 640 Igitur per aquas illas cõmuniter Theologi christallinum intelligunt.
- 641 Quod propter aquæ similitudinem, & influentiam aquarum cœlum appellatur.
- 642 Propter quod, vt dicit Liranus, equiuoce dicitur aqua de illa, & ista: illa autem est de natura cœlesti, hæc autem de natura elementari.
- 643 Quæ aquæ erant commixtæ inter se ante opus huius diei.
- 644 Est insuper cœlum illud motu velocissimum, atque ad inferiora virtutis influxiuum.

Nec

- 645 Nec solum hoc ad opus secundæ diei pertinet, sed etiam, vt Lirani ait, distinxit corpora cœlestia ab elementis.
- 646 Propter quod non recte sentiunt, qui dicunt, non esse productum aliud cœlum, in quo sint planetæ, nisi firmamentum.
- 647 Produxit enim Deus simul cum firmamento septem planetarum orbes.
- 648 Ac supra christallinum, & infra empyreum, primum mobile collocavit.
- 649 Fit enim specialis mentio de firmamento tanquam magis astris decorato, & vt ad quod magis visio terminatur.
- 650 Et, vt Augustinus ait, firmamentum dicitur, non propter stationem, sed propter firmitatem, & intransgressibilem terminum superiorum, & inferiorum aquarum.
- 651 Quod etiã cum alijs corporibus cœlestis, ac cum sphaeris planetarum non est eiusdem speciei.
- 652 Sicut nec omnia cœlestia corpora eiusdem speciei existunt.
- 653 Quæ etiam si simplicia corpora dicuntur, materia omnino carentia secundum Arist.
- 654 Quorum materia eiusdem rationis cum materia inferiorum existit, secundum Theologorum mentem.
- 655 Nec propter hoc generabilia, aut corruptibilia videantur.
- 656 Quorum forma non est propria intelligentia vniuscuiusque orbis, vt quidam arbitrantur.
- 657 Sed forma propria, qua corpus quodlibet constituitur in tali esse.
- 658 Illaque corpora propter eorum excellentiam, alia simplicia corpora superantur, in substantia, situ, quantitate, figura, qualitate, & motu.

MILLE QUÆSTIONES.

- 659 In substantia quidem cum non sit generabilis, aut corruptibilis, aut alterabilis, neque pars mixtionis alicuius.
- 660 Nec est de natura ignis, vt Anaxagoras, & Plato posuerunt.
- 661 Sed qua ratione possit dici eiusdem naturæ cum elementis, disputabitur.
- 662 Dicitur etiam coelum secundum Auerr. magis formæ propinquum, quàm materiæ: elementa autem magis propinquam materiæ, quam formæ.
- 663 Est insuper corpus animatum, vt Alexander tenet.
- 664 Non autem animal vt Simplicius imaginatur, sed vt Auerr. & Alexander.
- 665 Sed quo pacto Aristotile corpora cœlestia aliquando animalia vocasse videatur, disputabitur.
- 666 Situ quidem elementa excellunt; distant enim maxime à centro terræ, ac à conuexa superficie ignis.
- 667 Continent enim omnia alia corpora, nec ipsa ab aliquo continentur.
- 668 Sed quo pacto centrum terræ, locus supernorum corporum dicatur, disputabitur.
- 669 Excellunt insuper, quantitatem, & figura, cum oïa superna corpora sint sphericæ figuræ.
- 670 Quæ omnibus alijs figuris est sublimior, atque excellentior.
- 671 Propter quod terra tota est velut punctus respectu circumferentiæ cœli.
- 672 Et merito quidem: nobilissimo enim corpori nobilissima competeat figura.
- 673 Elementa autem per maiorem, & minorem accessum ad illa corpora habēt maiorem, vel minorem sphericitatem,
- 674 Ac proinde cum omnia coelum contineat necesse est talem

DE VNIVERSO

- talem habere figuram.
- 675 Figura enim sphærica omnium est capacissima.
- 676 At cum elementa, in substantia, situ, & figura superat, necesse est in motis etiam superare.
- 677 Mouetur enim cœlum in circulo, nec alium sibi motū vendicare potest.
- 678 Triplex enim localis motus ab Aristotile optime assignatur, scilicet à medio, ad medium, & circa medium.
- 679 A media leuia mouentur, ad medium grauia, circa medium autem corpus nec graue, nec leue.
- 680 Et quanto cœlum elementa in naturæ præstantia superat, tanto eius motus motum elementorum.
- 681 Corpori enim sphæricitate carenti, circularis motus minime deseruire potest.
- 682 Et si sphæra ignis sub orbe lunæ in circulo feratur minime sibi connaturalis motus ille videtur, vt rectæ sensit D. Thomam.
- 683 Nec propter hoc motum illum violentum, aut non perpetuum fateri oportet, sicut ipsemet dicit.
- 684 Perpetratur enim motus sphære ignis, sicut & motus cœli.
- 685 Sed an cœli motus sit ei naturalis, ac carens cōtrario.
- 686 An etiam possit cœlum aliquando quiescere.
- 687 Illeque motus, iuxta Auer. sententiam, ex duabus motoribus componitur, quorum vnus est finite motionis, & est anima existens in eo.
- 688 Alter vero infinitæ motionis, & est potentia, quæ nō est in materia.
- 689 Ex quo concludo, secundum Scotum contra Zimaram, Deum non immediate mouere primum cœlū.
- 690 Mouetur enim primus orbis à propria intelligentia separata à prima, quæ dicitur animæ illius orbis, sicut omnes alij orbis mouentur.
- 691 Mouet autem Deus, vt amatus, & desideratus, &
etiam

MILLE QUÆSTIONES.

etiam effectiue.

- 692 Ad intelligentia enim primi orbis mouentur omnes alij orbis ab oriente in occidentem super polos mundi, qui motus diurnus vocatur.
- 693 A propria autem intelligentia quilibet orbis mouetur ab occidente in orientem super polos zodiaci, qui proprius motus nuncupatur.
- 694 Nec iste motus violentus dicitur sicut nec ille.
- 695 Sed vtrum coelum habeat finitatem suæ actionis?
- 696 Circulos enim eccentricos, vel epiciclos, quos Astrologi ponunt, minime necessarios ponimus ad saluandum motus planetarum.
- 697 Ponimus autem circulum zodiacum in duodecim signa distinctum.
- 698 Qui circulus merito à latinis signifer, ab Arist. autem circulus obliquus nuncupatur.
- 699 Dissecat enim æquinoctialem circulum, per obliquum, cuius medietas ad arcticum est obuersa, altera autem ad antarcticum.
- 700 Præter hunc, in orbe stellato alium circulum, qui lacteus dicitur, ponimus, à Græcis autem galaxia, quidquid Arist. sentiat.
- 701 Superant postremo elementa in qualitate corpora illa, cum ex sui natura non sint calida, aut frigida.
- 702 Nec aliquam ex peregrinis impræssionibus nascuntur.
- 703 Ex qualitatibus autem naturalibus nullam habent, nisi lumen tantum.
- 704 Quo, tanquam instrumento eis accomodato agunt ad productionem, & conseruationem inferiorum.
- 705 Et vt placet Arist. non solum lumine, sed etiam motu agunt.
- 706 Quo cessante, inferiorum motus, & productiones cessare oportet.
- 707 Sed præter hæc agunt etiam, & influentia, vt instru-

DE UNIVERSO

mento à motu, & à lumine distincto.

- 708 Ad hoc enim est ratio, quia ad ea, quæ generantur in visceribus terræ, non potest coelum concurrere, motu aut lumine, ergo influentia tantum.
- 709 Insuper lumen, est qualitas sensibilis, non autem influentia.
- 710 Impeditur etiam lumen si aliquod corpus opacum interponatur, non autem influentia, si interponatur quodcunque corpus.
- 711 Est igitur influentia (ut fas est illam describere) qualitas quædam spiritualis nobis ignota, mediante qua diriguntur actiones quorundam inferiorum.
- 712 Agunt præterea illa corpora in elementa quo ad eorum generationem, & alterationem.
- 713 Experimento enim comprobatur, quod accedente sole, & alijs stellis calidis ad zenith alicuius regionis, elementa superiora, ignis scilicet, & aer augentur.
- 714 Aqua autem & terra minuuntur, & conuertuntur in superiora.
- 715 Agunt etiam in elementa superiora quo ad loci mutationem, ignis enim & aeris pars superior feruntur in circulo, & ad motum coeli.
- 716 Similiter cometæ, & aliæ impressiones ignitæ, quæ in superiori aeris regione generantur, tali motu feruntur.
- 717 Causa enim efficiens omnium meteorum logicarum impressionum, est motus coeli, & virtus planetarum, atque astrorum.
- 718 Quarum materia est vapor, aut exalatio: quæ virtute astrorum eleuantur ad infimam, aut ad mediã, siue ad supremam aeris regionem.
- 719 Humidarum enim impressionum est vapor: ignitarum autem est exalatio.
- 720 Ex quo fit, quod ex eadem exalatione cometa generatur,

MILLE QUÆSTIONES.

ratur, cum sit impressio ignita.

- 721 Non enim est cometa pars aliqua cœli, aut plurium planetarum concursus, vt Anaxagoras, & Democritus autumabant.
- 722 Neque aliquis alius nouus planeta, q̄ æquali velocitate cum sole moueatur, sicut Pithagoras, & Hippocrates Chio sonniabant.
- 723 Neque protendit cometæ apparitio principum mortem, aut bella, vt vulgares fabulantur.
- 724 Insinuat tantum copiam siccæ exalationis per aerem circumfusæ, uentorum impetum, ac terræmotus.

De operibus diei tertiæ.

- 745 **I**N opere huius diei à se inuicem distincta sunt elementa, atque in proprijs locis ordinata.
- 726 Fit autem in Scriptura specialis mētio de aqua, & terra, tanquam sensui magis manifestis.
- 727 Taliter enim Deus elementa in suis locis disposuit, vt superius elementum, inferius contineret.
- 728 Quæ ad decorem, & perfectionem vniuersi sunt necessaria, ac etiam ad mixtorum generationem.
- 729 Sunt enim formaliter in mixto, vt vult Auerroes non virtualiter solum, vt volunt alij.
- 730 Ex quo teneo formã mixti esse superadditam formis elementorum.
- 731 Non enim differunt inter se elementa solum per primas qualitates, vt aliqui arbitrantur, sed per proprias, & ignotas formas.
- 732 Ergo melius est fateri cum Auerr. qualitates elementorum esse accidentia, quam substantias cum Alexandro.
- 733 Non potest vna qualitas esse in summo in duobus elementis: nec ambæ qualitates in summo in vno elemento, vt Auic. volebat.

DE VNIUERSO

- 734 Oportet igitur alteram qualitatem in summo habere, alteram autem in remisso.
- 735 Nec remissio quælibet est per contrarij admixtionem quid quid dicat Iacobus de Forliuio.
- 736 Est enim ignis in summo calidus, aer in summo humidus, aqua in summo frigida, ac terra in summo ficca.
- 737 Grauitas autem, & leuitas in elementis, non sunt actiuæ qualitates, sed illas insequuntur.
- 738 Quas omnes qualitates (cum sint primæ) actiuas esse defendo.
- 739 Est insuper ignis in summo leuis, terra autem in summo grauis, media autem, nec in summo leuia, nec in summo grauia.
- 740 Nec propter hoc caliditas ignis in propria sphaera est combustiua, sicut caliditas istius ignis.
- 741 Mouentur insuper elementa ad loca propria ex suo principio formali intrinseco, sicut grauia, & leuia.
- 742 Mixta verò à prædominante elemento.
- 743 Et si in operæ huius diei dicatur, quòd Deus appellauerit maria congregationes aquarum, non propter hoc omnes aquas falsedinem sicut mare habere dicimus.
- 744 Neque mare est elementum aliquod ab aqua distinctum.
- 745 Neque ex fontibus generatur, vt volebant Hesiodus, & Homerus, sed est coeternum elemento aquæ.
- 746 Potest enim secundum partes corrumpi, sicut alia elementa.
- 747 Nec augetur mare, ex concursu fontium & fluuiorum ad ipsum.
- 748 Nec ex sui natura habet falsedinem, quandoquidem elementa in sui natura sapore, & colore carent.
- 749 Nec talis falsedo causatur, ex eleuatione aquæ dulcis à

MILLE QUÆSTIONES.

cis à sole, & in vapores resolutæ, vt aliqui arbitrantur.

750 Nequæ ex eo quod mare est terræ sudor (vt dicebat raclitus) falsedinem habet.

751 Melius igitur cum Arist. dicendum quod talis falsedo causatur ex mistione ficci terrestris adusti, cum humido aqueo

De operibus quarta diei.

752 **E**X eadem substantia et natura, qua Deus secunda die produxit cælum, plasmauit in opere quarta diei solem, lunam, & stellas.

753 Quibus lucem illam distribuit secundum maiorem, & minorem gradum, quam prima die produxit.

754 Quamobrem falso imaginantur dicentes, lunam & astra non ex seipsis, sed tantum à sole lumen habere.

755 Quæ corpora luminosa sunt producta ad decorem vniuersi, & ad hæc inferiora in luminandum.

756 Nec omnia sunt collocata in orbe stellato (vt quidam ex verborum scripturæ interpretantur) sed in diuersis orbibus.

757 Luna enim sita est in primo orbe, sol in quarto, stellæ autem in octauo, & quisque aliorum planetarum in proprio, ac distincto orbe.

758 Sol enim in medio orbium situs est, vt princeps planetarum, ac vt fons luminis & caloris.

759 Qui merito pater generationis dicitur: qui etiam motu suo distinguit, horas, dies, & annos.

760 Per eius accessum, & recessum in circulo obliquo, causat generationem, corruptionem, calorem, & frigus.

761 Per spatium vnius anni percurrit duodecim signa Zodiaci: præest tamen leoni, vt proprio signo.

Cuius

- 762 Cuius proprium interest sub ecliptica, à qua nunquã per aliquem gradum aberrat.
- 763 Reliqui autem planetæ, per plures, & pauciores gradus ab illa recedunt.
- 764 Patitur quidem eclipsis, non autem sicut luna; quando quidem conus vmbrae terræ illuc usque non potest pertingere.
- 765 Nec eius eclipsis est vniuersalis, sed in aliqua regione tantum.
- 766 Nec in plenilunio contingere potest, sed solum in nouilunio, vel circa.
- 767 Ex quo constat eclipsim solis in morte Saluatoris, cū fuerit in plenilunio, non naturalem, sed miraculosam fuisse.
- 768 Luna autem eclipsim patitur propter interpositionem vmbrae terræ, dum fuerit in capite, vel in cauda draconis.
- 769 Causat fluxum, & refluxum maris in illa regione in qua eleuatur.
- 770 Illaque pars maris in loco illo, qui directè supponitur centro lunæ, est altior quàm in quocunque alio loco.
- 771 Quæ & tumor maris vocatur, qui circuit tantam terram in tanto tempore, quanto luna circuit suum orbem per motum primi orbis.
- 772 Habet præcipuam actionem luna super humida corpora, sicut sol super sicca.

De operibus quintæ diei.

- 773 **I**N opere huius diei ornata sunt elementa media, aer scilicet, & aqua.
- 774 Ad quorum ornatum (secundum Liranum) pertinent illa quæ, mouentur in eis, scilicet aues, & pisces.
- 775 Nec ex vocibus scripturæ oporteat dicere, quod huiusmodi

MILLE QUÆSTIONES.

- iusmodi animalia sint formata ex solâ aqua.
- 776 Quandoquidem ex omnibus elementis sunt compacta, sicut alia mixta.
- 777 Fit autem (secundum Liranum) specialis mentio de aqua propter quandam conuenientiam cum illis.
- 778 Habet enim aqua humorem & vaporem; per humorem conuenit cum piscibus, per vaporem autem cum auibus.
- 779 Est enim aqua locus conseruatiuus reptilium, sicut terram animalium, & aer auium.
- 780 Sed an locus sit conseruatiuus locati disputatur.
- 781 Dedit etiam Deus cunctis uiuentibus ad multiplicandas species, virtutem producendi sibi simile in specie.
- 782 Et sicut animalium sunt diuersæ species, ita diuersæ differentiæ specificæ, atque proprietates.
- 783 Quæ proprietates non distinguuntur realiter à suis subiectis, sed formaliter tantum.
- 784 Habent insuper animalia à natura vitam, & motum.
- 785 Vita enim secundum Arist. uiuentibus est esse.
- 786 Motus autem actus entis in potentia ut in potentia.
- 787 Animalia enim secundum triplicem animam distinguuntur, & propterea sunt aut vegetantia, aut sentientia, aut intellectuala.
- 788 Animalia autem habentia unam tantum potentiam animæ, non propriæ animalia vocantur secundum Them. sed animata uiuentia.
- 789 Dicitur etiam animal (secundum Auer.) secundum totum, & non secundum parte.
- 790 Quod etiam secundum Arist. dicitur uiuere dum nutritur.
- 791 Nec solum dicitur animal per quinque sensus, sed per unum quandoque, sicut spongia maris.
- 792 Animalia verò habentia omnes sensus possunt simpli-

DE UNIVERSO

- simplicem rerum notitiam habere : atque complexam.
- 793 Possunt etiam reminisci, non tamen sicut homo.
- 794 Animalia longioris vitæ habent plus de calore, & de humido, quam de frigido & sicco.
- 795 Frigus enim secundum Arist. non ingreditur opus naturæ.
- 796 Calor autem est instrumentum animæ ad generandum carnem.

De operibus sextæ diei.

- 797 **I**N operibus diei sextæ formavit Deus hominem, omnium creaturarum nobilissimum.
- 798 Ad cuius esse animam, & corpus produxit tanquam eius partes essentielles, hoc ut materiam, illam autem formam.
- 799 Quamobrem, non totum esse hominis est ab anima, ut falso dixit Franciscus Giorgius, sicut nec totum esse cuiuscunque quidditatis est à forma.
- 800 Est enim materia pars quidditatis, sicut & forma.
- 801 Produxit Deus corpus hominis ex eisdem elementis, ex quibus produxerat alia animalia, licet solum terræ limus exprimatur.
- 802 Quo fit ut subtiliora, & nobiliora sint elementa in corpore hominis, quàm aliorum animalium.
- 803 Per spiraculum vitæ in faciem hominis inspiratum, non intelligimus gratiã spiritus sancti infusam animæ Adæ iam creatæ, ut autumabant Philistrius & Cyrillus.
- 804 Neque lucem intelligimus animæ superadditã, quæ homini Deum ostendit, ut male Georgius sensit,
- 805 Fatemur igitur cum Augustino, Chryf. & alijs catholicis, spiraculum illud fuisse substantiam animæ humanæ.

MILLE QUÆSTIONES.

- 806 Nec ob id sequitur animam esse de substantia Dei, vt recte D. Thom. arguit contra Cyrillum.
- 807 Ex verbis etiã scripturæ concludimus falsam esse opinionem Platonis, & Origenis, scilicet omnes animas simul cum Angelis esse productas.
- 808 In eodem enim instanti, quo corpus est perfecte organizatum, animam ipsa à Deo creatur, atque ibi infunditur.
- 809 Quæ non est sola forma, qua corpus est organicum, sed præter ipsam est alia corporis forma, qua in esse corporis constituitur, & organica dicitur.
- 810 Quamobrem plures, & distinctas formas in cõposito cum Scoto statuimus.
- 811 Est enim anima actus corporis organici, sed non est hæc propria diffinitio eius, quidquid Arist. dicat.
- 812 Nec Platonis diffinitio est multum consona veritati, dum dicit animam numerum esse seipsum mouentem.
- 813 Magis tamen est acceptãda diffinitio Platonis, quàm Aristotelis.
- 814 Nec rationes Arist. contra Magistrum suum satis demonstratiue videntur.
- 815 Vera igitur atque germana animæ diffinitio, est illa quæ traditur à Theologis, & præsertim ab Augustino in opusculo de cognitione veræ vitæ, & ab Hugone in libro de spiritu, & anima.
- 816 Notitia enim de natura substantia, ac origine animæ absque supernaturali lumine, difficile haberi potest ab intellectu viatoris.
- 817 Non est autem anima producibilis, nisi per creationem quam forsan Arist. non cognouit.
- 818 Propter quod non nisi à Deo ex nihilo est producibilis, non autem ab Angelo, vt falso Plotinus, & Proclus imaginabantur.
- 819 Cuius natura atque substantia, non est de substantia

DE UNIUIERSO

Dei, vt male fenſiebant Carpocrates, & Marcus Terrentius Varro.

- 820 Nec ex Athomis compositam dicimus, aut ex igne & calore, vt Democritus, & Leucippus dicebant.
- 821 Nec elementorum mixturam, aut ex primis qualitatibus resultare, vt dicebat Empedocles.
- 822 Est igitur animæ natura substantia intellectualis simplex non redolens elementorum naturam nec primarum qualitatum actiones.
- 823 Non composita aut componibilis, licet fit alicuius compositionis expers.
- 824 Non est educibilis de potentia materię per actionem agentis naturalis, sicut alię naturales formę.
- 825 Neque ex femine cum corpore traducitur, vt inepte Apollinaris dicebat,
- 826 Habet in se partes, nec tamen est quanta, aut diuisibilis in partes.
- 827 Non enim est figurabilis aliqua magnitudinis specie vt optime Arist. primo de anima demonstrat.
- 828 Coexistit omnibus partibus corporis, nec tamen, ad illarum diuisionem diuiditur.
- 829 Est insuper per sensum sensibilia (vt vult Arist.) ac per intellectum intelligibilia.
- 830 Cuius partes, atque potentię essentielles secundum Theologos sunt intellectus, atque voluntas.
- 831 Secundum autem Peripatheticos intellectus agens, & possibilis.
- 832 Quę potentię inter se, & ab essentia animæ formaliter tantum distinguuntur.
- 833 Est intellectus possibilis, virtus passiuæ, immixtus, & inorganicus.
- 834 Patitur ab obiecto, atque alteratur, non tamen corrumpitur.
- 835 Et si oporteat ipsum phantasmata speculari, nihil tñ prohibet, absque phantasmata intelligere.

Cuius

MILLE QUÆSTIONES.

- 836 Cuius obiectum ponitur quidditas rei sensibilis non contradicendo conclusioni. 132.
- 837 Ad cuius operationem, ponitur necessario species intelligibilis distincta ab actu, & à phantasmata quid quid dicat Henricus.
- 838 Nec ad illum actum tantum passive se habet, sed etiã active, & magis quàm obiectum.
- 839 Intellectus agens ponitur pars animæ, non autem potentia separata, vt vult Alexander.
- 840 Cuius natura est similis naturæ intellectus possibilis, vt sensit Auer.
- 841 Reducit intellectum possibilem de potentia ad actum, & abstrahit speciem à phantasmate.
- 842 Producit notitiam in intellectu possibili: ipse tamen nihil intelligit.
- 843 Cuius proportio ad intellectum possibilem est artis ad materiam, lucis ad diaphanum, & habitus ad intellectum.
- 844 Creauit etiam Deus animam ad imaginem, & similitudinem suam, quæ est eius naturalis perfectio.
- 845 Ratio autem imaginis in ipsa, non consistit solum in actibus primis, neque solum in actibus secundis.
- 846 Sed in actibus primis, vt subsunt actibus secundis.
- 847 Tria enim secundum Scotum ad rationem imaginis pertinent: originatio, consubstantialitas, atque distinctio.
- 848 Non est insuper anima imago genita sicut filius Dei, neque imago sicut mundus facta, sed solum imago creata.
- 849 Non bene assignatur differentia inter vestigium & imaginem ex confuso & distincto modo repræsentandi, sed ex repræsentatione totius & partis.
- 850 Ratio etiam vestigij in omnibus entibus reperitur, imaginis autem solum in natura intellectuali.

DE VNIUERSO

De vniuersi causa efficiente.

851. **C**um vniuersum sit solum per creationem producibile, non ab aliqua causa creata, sed solum ab increata fuit productum.
852. Nulla enim creatura in quacunque dignitate constituta potest terminum creationis attingere, nec vt efficiens, neque vt instrumentum.
853. Quamobrem opinionem Auicennæ de intelligentiarum productionem, falsam esse arbitramur.
854. Et sicut creare repugnat causæ creatæ, ita etiam & annihilare.
855. Cum etiã opera Trinitatis ad extra sint indiuisa propterea dicimus primam causalitatem necessario esse in tribus.
856. Productum est igitur vniuersum ab vno principio, sed à tribus necessario.
857. Neque ante diuinarum personarum originationem, aliquid intelligitur producibile, nec in esse existentia, neque in esse cognitio.
858. Ideo bene dicebat Augustinus qui sicut pater, & filius sunt vnum principium spiritus sancti; ita tres personæ sunt vnum principium creaturarum.
859. Est autem vniuersum, & quodlibet producibile, obiectum diuini intellectus, non tamen sicut intellectus nostri.
860. Est insuper multitudo causatorum in vniuerso, sicut multitudo partium in naturali.
861. Quamobrem nõ absque ratione Pitagoras appellabat vniuersum maximum animal.
862. Nec solum est Deus principium vniuersi ignem causæ efficientis, sed etiam exemplaris & finalis.
863. Sicut etiam inter diuinas personas datur ordo in productione ad intra, ita etiã in productione ad extra.

Dicitur

MILLE QUÆSTIONES.

864 Dicitur in principio hoc est, in virtute filij Deum
vniuersum produxisse, non tamen, vt principio for-
mali producendi.

865 Sed vtrum Deus potuit produxisse vniuersum perfe-
ctius, quàm produxit?

De ordine efficientis ad vniuersum.

866 **N**ullam nouitas, aut perfectio aduenit primæ cau-
sæ propter vniuersi productionem, sed solum
ipsi vniuerso.

867 Et si in tempore produxit ipsum, non tamen nouo
velle.

868 Contingenter produxit illud sicut omnes alias creatu-
ras, sed non absque omni necessitate.

869 Nulla relatione reali ad ipsum refert, sed nec forte ra-
tionis.

870 Quælibet autem creatura relatione reali refertur ad
Deum, vt ad terminum suum.

871 Quæ relatio est eadem realiter cum fundamento.

872 Licet non omnis relatio realis, sic idemptificetur, vt di-
cit Henricus.

873 Talis etiam est ordo efficientis ad vniuersum, vt Tri-
megistus inquit, quòd omnia sunt in Deo, non tan-
quam in loco posita.

De principio materiali vniuersi.

874 **V** Num est vniuersi materiale principium, ex quo
simplicia corpora, ac mixta omnia sunt
producta.

874 Quod etiam ab Arist. inter naturalium rerum princi-
pia connumeratur, tanquam necessarium in omni
transmutatione.

876 Est à forma, & priuatione distinctum, licet nunquam
vtroque

- vtroque careat.
- 877 Est generationis, & corruptionis principium, idem numero manens sub vtroque termino.
- 878 Nullam in se habet formam propriam, ad omnes tamen est in potentia.
- 879 Ab ipsa forma actuatur, & sine ipsa habet proprium actum.
- 880 Sine quantitate diuiditur, & sine forma cognoscitur.
- 881 Nè dum ad substantialem formam est in potentia, verum etiam ad accidentalem.
- 882 Est insuper vnum numero cum priuatione, specie tamen distinguuntur.
- 883 Appetit formam tanquam optimum sui, cum priuatione autem ad maleficium machinatur.
- 884 Nec solum formarum naturalium est principium, sed etiam artificialium.
- 885 Deus cuius potentia cunctæ formæ generabiles educuntur, per actionem agentis naturalis.
- 886 Dependet in esse forma ab ipso, ipsum tamen ordinatur ad formam.
- 887 Simul cum forma recipit prædicationem naturæ.
- 888 Principium tamen positum in diffinitione naturæ, solum de passiuo principio intelligi debet.
- 889 Nec ipsum, nec forma generationem terminant, vtrūque tamen corrumpitur, & generatur.
- 890 Ambo simul compositum constituunt, quod esse perfectius vtrisque habet.

De vniuersi vnitatem.

- 891 **P**ER vniuersi vnitatem, nolumus illam mundi animam intelligere, quàm Thæmistius, & Simplicius asserunt de mente Platonis.
- 892 Neque per vnitatem illam primi motores intelligimus

MILLE QUÆSTIONES.

mus, vt Augustinus Sueff. putat deducere de mente Philosophi.

893 Potest quoquomodo Deus anima vniuersi appellari, non tamen vniuersi vnitas.

894 A quò vt ab anima, singularis communicatum est esse, & viuere, illis quidem clarius, his vero obscurius.

895 Iure optimo Arist. ab vnitate motoris, concludit vnitatem vniuersi, tamen alia vnitas est hæc ab illa.

896 Repugnat enim plures primos Motores esse, sicut, & plures causas, non tamen repugnat esse plura vniuersa secundum Theologorum mentem.

897 Nullus enim effectus creatus adequat totam virtutem primæ causæ.

898 Licet apud philosophos hoc incommodū videatur, ad saluandam vnitatem, inter primam causam & vniuersum.

899 Quod forsan Parmenides intellexit, dum dixit omnia esse vnum, licet aliter Arist. sibi impingat.

900 Sicut etiam, ab vnitate primæ causæ proficiscitur pluralitas effectuum, ita ab vniuersi vnitate pluralitas entium.

De vniuersi lapsu.

901 **D**icitur vniuersum totū corruisse, propter lapsum primi hominis, qui fuerat vniuersi rector & dominus constitutus.

902 Nam sicut post eius lapsum facta fuit in ipso rebellio potentiarū inferiorum ad superiores, ita aliæ creaturæ rebelles se constituerunt, vt non perfecte ei obtemperarent.

903 Dicitur enim vniuersum corruisse, cum peccatū primi hominis in omnes posteros transfusum fuerit.

904 Quod peccatum à Theologis originale dicitur, propter

DE VNIVERSO

- pter quod omnes nascimur filij iræ.
- 905 Contrahitur enim ab anima vniuscuiusque ex communi lege propagati, non tamen ex carne infecta, vt aliqui volunt.
- 906 Est autem culpa originalis carentia iustitiæ originalis in primo parente acceptæ, & ab eo per peccatum deperditæ.
- 907 Sed an peccatum Adæ fuerit grauissimum? pro vtraque parte defenditur.
- 908 Importat peccatum originale culpam, & poenam, sicut quodlibet aliud peccatum.
- 909 Nulla tamen poena sensus debetur ob culpam originale, sed danni tantum.
- 910 Non fuisset mortuus primus homo in statu innocentie: habuisset tamen potentiam ad moriendum.
- 911 Et vt Gregorius ait, illi solum fuissent procreati in statu innocentie, qui nunc sunt electi.
- 912 Paradisus etiam voluptatibus, in quo primi parentes formati fuerunt, erat conueniens habitationi humanæ, etiam in statu naturæ lapsæ.

De vniuersi reparatione.

- 913 **D**ecuit vniuersum iam lapsum, per Christi passionem reparari.
- 914 Et si alius modus reparandi non defuisset, fuit tamen copiosa apud eum redemptio.
- 915 Non enim Angelus ad hoc opus erat ordinatus, nec purum homo, sed simul Deus & homo.
- 916 Non fuit impossibile Deum hominem fieri, si nulla erat repugnantia ratione vtriusque extremi.
- 917 Sicut nec impossibile fuit humanam naturam verbo vniri in vnitatem personæ.
- 918 Quam vnionem mere relationem nihilque absolutum dicere affirmamus.

Sed

MILLE QUÆSTIONES.

- 919 Sed vtrum sit realis relatio, an rationis, disputatur.
- 920 Nulla enim similis relatio in creaturis inueniri potest quandoquidem non est causati ad causam, nec causati prioris ad causatum posterius.
- 921 In qua vnione, nihil noui accidit verbo, sed quod fuit; permansit, & quod non erat assumpsit.
- 922 Et si persona diuina tamen assumpsit naturam humanam, non autem natura diuina: merito catholici asserunt Christum dicere nomen suppositi duarum naturarum.
- 923 Nec erat impossibile filium incarnari, absque patre, & Spiritu sancto.
- 924 Sed vtrum tres personæ potuissent assumere eandem naturam numero?
- 924 Ratio etiam formalis terminandi dependentiam naturæ humanæ ad verbum, non est virtualis contentia in persona diuina, vt dicit Varro, sed proprietas personalis, vt Scotus.
- 926 Nec esset maior ratio terminandi, si proprietas illa sit relatiua, quàm si esset absoluta.
- 927 Natura etiam assumpta erat singularis propria singularitate non autem propria personalitate.
- 928 Nec fuit impossibile assumi natura absque persona: cū alio dicatur natura, & alio persona.
- 929 Ratione cuius assumptionis, hæc propositio est simpliciter vera, Deus est homo.
- 930 Nec dicimus quod sit primo vera.
- 931 Sed vtrum sit propositio per se? aut etiam per accidens?
- 932 An etiam sit ista per se, Christus est homo? an etiam per accidens.
- 933 Est insuper verum dicere quod Deus factus est homo, non tamen quod Deus sit factus.
- 934 Qui etiam factus fuisset homo, si primus homo non cecidisset.

DE VNIVERSO

- 935 Erat enim Christus prædestinatus esse filius Dei in virtute.
- 936 Nec vnã filiationem solum in Christo fatemur, sed duas absque veritatis præiudicio.
- 937 Nec propter hoc fateri oportet, quòd Christus sit duo filij.
- 938 Sicut nec cum duo esse in ipso fatemur, dicimus ipsum duo entia esse.
- 939 Vnum esse habet à Matre in tempore, alterum verò à Patre in æternitate.
- 940 Nec propter hoc Maria dicitur mater hominis solum sed Dei, & hominis simul.
- 941 Quæ dum concepit de Spiritu sancto, actiue se habuit ad illius naturæ productionem.
- 942 Omnes etiam matres actiue se habent in generatione cum habeant principium actiuum eiusdem rationis cum patre.
- 943 Ministravit insuper Beata Virgo materiam purissimi sanguinis ex quo corpus illud formabatur.
- 944 Nec illud corpus sicut alia formabatur, cum omnia in vno instanti peracta fuissent.
- 945 Sed vtrum organizatio corporis præcesserit animationem: & animatio, incarnationem?
- 946 Nec si Christus dicebatur filius Virginis naturalis, erat dicendus dei filius adoptiuus.
- 947 Sicut nec creatura dici debet, nec quod inceperit esse.
- 948 Qui cum ex natura fuerit innocens peccatum, non fecit, nec peccandi potentiam habuit.
- 949 Licet liberum arbitrium habuerit eiusdem rationis cum alijs viatoribus.
- 950 Qui etiam cum totum hominem assumpsisset, simul omnes naturæ defectus assumpsit.
- 951 Debuit enim (iuxta Apostoli dictum) per omnia fratribus assimilari vt misericors fieret.

At cum

MILLE QUÆSTIONES.

- 952 At cum corpus passibile assumpsisset, habuit necessitatem moriendi.
- 953 Fuit tamen mors eius, naturalis, violenta, voluntaria, atque miraculosa.
- 954 Passus est dolorem in carne, ac tristitiam in animæ quæ trititæ effecta erat vsque ad mortem.
- 955 Est enim dolor (secundum Augustinum) offensio animæ ex carne & quædam ab eius passione dissensio.
- 956 Tristitia autem est de rebus, quæ nobis nolentibus accidunt.
- 957 Patiebatur enim in vtraque animæ portione, & altera portione erat beatus.
- 958 Cuius gloria nec modo est aucta in Cœlo, nec fuit diminuta in morte.
- 959 Sed an eius passio, seu dolor excefferit omnium martyrum passiones?
- 960 Qui solutis inferni doloribus, tertia die gloriosus retulit de morte triumphum.
- 961 Mortuus enim erat propter peccata nostra, resurrexit tamen propter iustificationem nostram.
- 962 Cuius corpus minime fuisset incineratum, si vsque ad diem iudicij in sepulchro perstitisset.
- 963 Erant in triduo æqualiter anima, & corpus vnita verbo hipostatice, sicut in vita.
- 964 Quod enim semel assumpsit, nunquam dimisit.
- 965 Nec propter hoc in triduo fuit homo.

De vniuersi innovatione.

- 966 **I**nnouabitur vniuersum ex æterea, atque elemētari regione in die vniuersalis iudicij iuxta prophetarum oracula, scripturæ testimonia, ac fidei certitudinem.
- 967 Quod fiet iuxta Petri dictum, quando cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.

DE VNIUERSO

- 968 Renouatio enim erit per ignem, sicut alias fuit per aquam, tanquam per elementa magis purgatiua.
- 969 Ignis purgans ante iudicem præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.
- 970 Qui etiam à Teologis, ignis conflagrationis appellatur quasi purgatio per ignem.
- 971 Nec erit ille ignis de nouo à Deo productus, sed virtute diuina omnes ignes congregabuntur cum illo qui est sub concauo orbis lunæ, ad hanc purgationem faciendam.
- 972 Erit enim ignis aptissimum instrumentum diuinæ virtutis ad purgationem vniuersi, tanquam elementū actiuum: nec sicut alia elementa infici potest.
- 973 Quæ purgatio erit vniuersalis in tota terræ latitudine vsque ad aeris regionem, nõ tamen attinget vsque ad cælum.
- 974 Fiet etiam diuina virtute vt non comburat homines quos voluerit Deus viuos inueniri in die extrema.
- 975 Qui dies merito à Sanctis dies domini appellatur cum ad hominum operationem non dirigantur, sed solius Dei.
- 976 In qua in iussu domini, in voce Archangeli, & in tuba Dei, mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.
- 977 Resurgere tamen haent omnes homines cum corporibus suis reddituri de factis proprijs rationem.
- 978 Et si fiat iudicium vniuscuiusque in animæ egressu, erit tamen per necessarium iudicium vniuersale.
- 979 Tempus autem ad hoc iudicium determinatum, non potest scripturæ testimonijs comprobari, cum etiã filium hominis lateat.
- 980 Qui filius hominis sedebit in sede maiestatis suæ constitutus à Deo iudex viuorum, & mortuorum.
- 981 Iudicabit vt homo & vt Deus: alia tamen, & alia auctoritate.

MILLE QUÆSTIONES.

982 Iudicabunt simul Apostoli, & omnes electi, quia illic sedebunt sedes in iudicio.

De statu vniuersi post iudicium.

983 **P**erperam locuti sunt illi, qui dixerunt, post quamlibet reuolutionem firmamenti, omnia in eodem statu esse redditura.

984 Sicut nec mihi probatur, quod post diem iudicij habitabitur terra à pueris, qui absque luce decesserunt.

985 Elementa enim sic purgata in proprijs locis absque motu, & productionem manebunt.

986 Nulla erit productio, aut generatio vel motus in inferioribus, nec amplius animalia poterunt viuere super terram, cum cessabit coelum à motu suo.

987 Orbes planetarum in perpetuum quiescent, similiter, & primus orbis, qui non destruentur ob vniuersi ornatum.

988 Sol autem, & luna (iuxta Abacuc prophetiam) stabunt in habitaculo suo idem sol in oriente, & luna in occidente, maiori lumine circumfusi.

989 Duo loca infra terram expoliata manebunt, scilicet purgatorium, & limbus sanctorum patrum.

990 Habitabitur locus paruulorum, qui absque baptismo è luce migrarunt portatum iniquitatem patrum suorum.

991 Manebunt in perpetua caligine, patientes poenam damni, quæ sola originali culpæ debetur.

992 Dannati autem simul cum anima, & corpore, poenæ sensus & damni, perpetuo in inferno cruciabuntur.

993 In quo omnes dæmones recludentur, qui vsque ad extremum diem fuerant per aereas regiones dispersi.

994 Qui simul cum dannatis infernali igne cruciabuntur carente lumine, & splendore.

995 Illi autem, qui in iudicio confederunt à dextris Iudicis ra-

DE UNIUERSO

- 996 Qui anima, & corpore gloriosis replebunt sedes, ex quibus Angeli præuaricantes deiectioni fuerunt.
- 997 Perpetuam beatitudinem possidebunt, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus.
- 998 Eleuabitur intellectus à lumine gloriæ ad claram Dei visionem, quod etiam asserimus in doctrina Scoti.
- 999 Beatitudo etiam, quæ in actu fruitionis consistit, non est solum actus intellectus, sed magis voluntatis.
- 1000 Nec anima solum per vtraque potentiam erit expleta, verum etiam, & corpus gloriosum animæ gloria redundantia explebitur in cunctis sensibus: & anima & corpus adinuicem condelectata, assistente etiam perpetua securitate, in tranquillitate perpetua requiescent.

Laus Deo, & Matri.

Ad obiecta respondente Frater Petrus de sancto
Sofio, sacre Theologiæ Professor.

Viuit post funera virtus.